BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
8 D
24

DEMOSTHENIS

ORATIONES QVATVOR

CONTRA PHILIPPVM,

A' Paulo Manutio latinitate donatæ.

Venetiis, M D L I.

APVD ALDI FILIOS.

DEMOSTHENIS

ORATIONES QVATVOR

CONTRA PHILIPPVM.

A' Paulo Manutio latinitate donatæ.

Venetiis, M D L I.

APVD ALDI FILIOS.

Christianissimi Gallorum Regis consiliario, & apud Venetam rempu. oratori,

Paulus Manutius Aldi filius S.P.D.

QVAM difficili in loco uersetur eorum industria, qui de græco uertunt, neque tu, ut arbitror, ignoras, Ioannes Moruilleri uir clarissime, cui uel exercitatio literarum, uel ipsa natura, uel potius utraq; simul hoc dedit, ut in iudicãdo excelleres; ego experiens ita sensi, ut, qui aliis antea in hoc genere peccantibus acerbior fuissem, ac durior, idem postea, re tentata, eo libentius ignouerim, quo magis eandem ipse culpam extimescerem. Occurrunt iis, qui de græcis latina faciunt, duo inter se maxime contraria uitia: quorum utrunq; cum euitandum æque sit, ita periculosa tamen cautio est, ut ferè, declinare ab altero dum uis, in alterum incurras. nam & qui in eo laborant, ut græca uerba totidé penè latinis reddant, quòd fideles interpretes haberi uolunt, inepte faciũt, atque in illa ipsa nimis attenuata diligentia

grauiter peccant; quoniam quidem res ipsa primum fit obscurior, quod cum interpretis officio pugnat, deinde latinæ oratiõis dignitate cultuq; destituta sordescit: & qui horum in uerbis referendis religionem improbãt, putidamq; appellant, libertatem ipsi quandam & licentiam magis amant; his plerunq; contingit, ut, dum ad ornamenta toto animo intendunt, ab ipsa sententia longius aberrent. summum artificiũ, summamq; possidet prudentiam, si quis inter has difficultates constitutus, quasi medius inter duas Syrtes ita nauigat, ut naufragium non faciat. quod ætate nostra cum ex transalpinis hominibus multi, ex nostris etiam non pauci tentauerint; tamen, cum omnes excussi, uix unum aut alterum ex uniuersa multitudine reperio, qui perfecti munus interpretis expleuerit. atque ego uidebam fore, ut in illam ipsam peccantium interpretum turbam coniicerer: & cõmunem esse causam confiteor: sed mea tamen hoc probabilior est, quòd alii se ad id, quod in hoc genere perfectum est, peruenisse sunt arbitrati; ego, quàm à perfecto longè distem, ipsemet intelligo: ut mihi saltem incorrupta fuerit idea, aliis non solum perficiendi ratio defuerit, ue-

rum etiam iudicandi. sed quia fieri potest, ut, quemadmodum alii falluntur in eo, quia sua scripta nimis indulgenter probant, ego contra fortasse fallar in eo, quia mea seuere nimis improbem: expecto, quid tu sentias, Moruilleri sapientissime: ut, siue inter me & alios interpretes aliquid interesse duxeris, siue me quoque in eodem, quod aiunt, hærere luto iudicaueris, ego, quidquid statueris, ad tuam sententiam meum de me ipso iudicium in utrãque partem accommodem. equidem probari à te, atque etiã laudari mea scripta uelim: &, qui minime soleo esse ambitiosus, tamen igniculis quibusdam cupiditatis incendor, ut meum nomen in ore tuo uersetur. non enim, à quouis homine laudari, optabile est; turpe etiam, à quibusdã. me quidem non tam ipsa laus, quàm laudantis auctoritas afficit. quare cũ tu is sis, de quo duo Reges, at quales Reges? omnium, qui in Gallia regnauerint, maximi, pater & filius, optime senserint; quorum alter legationem tibi ad Venetam rempublicam detulit, alter eundem honorem postea confirmauit; cumq; in ipsa legatione publicam personam omni re, loco, tempore ita sustineas, ac tuearis, ut summam in te

grauitatem omnes laudent, nec tamen humanitatem quisquam desideret: magni refert ad ingenii mei commendationem, quid tu, uir primarius, & omni laude circunfluens, de hac mea tenui uigilia sentias. potest obscuram per se lucubrationem tuum testimonium illustrare. quod ego si assequar, ad illa præstantiora, quæ maiorum uigiliarum sunt, quæ scis à me iam esse instituta, fiam alacrior: quæ ipsa posteri cum legent; non enim dicam, si legent; quia, quod summe cupio, summe etiam sperare iucundum est; de tua, non una, aut altera uirtute, sed sapientia, quæ omnes uirtutes continet, me narrãte cognoscent; et, cum cognouerint, ipsi quoq; prædicabunt. Vale. Venetiis, M D L I.

Philippum oratio prima.

NOVA res aliqua si esset agenda, ego me Athenienses, quoad pleriq; eorum, qui consueuere, suam sententiam ostenderent, cõtinuissem; ut, si quid ipsi ad ea, quæ in deliberationem uocantur, probabilius attulissent, ab hoc dicendi labore superfederem; sin minus, tum ipse ea, quæ sentio, conarer exponere. cum uero eadem consideranda nunc sint, de quibus hi sæpe orationem ante habuerunt: puto me, quia primus surrexerim, ueniam esse iure optimo impetraturum. ipsi enim si antea sapienter consuluissent, iisdem de rebus consilium uos quidem hoc tempore non quæreretis. Primum igitur auctor Athenienses uobis sum, ex hoc rerum statu ne quem omnino mœrorem suscipiatis, ne si illæ quidem conditione multo deteriore uideantur esse. quod enim superioribus temporibus maxime contra uos fuit, id ipsum in posterum maxime à uobis futurum uidetur. ecquid igitur hoc est? quòd, dum ea, quæ tempus postulat, omnia negligitis, uestra

culpa Athenienſes in has difficultates incidiſtis. nam ſi ueſtro officio nulla re defuiſſetis, nec tamen idem exitus conſecutus non eſſet, ne ſpes quidem melioris fortunæ ſupereſſet. deinde illud uelim conſideretis, & uos qui ab aliis audiuiſtis, & qui tum ipſi affuiſtis; uelim inquam conſideretis, atque in memoriam redigatis; non longe ab hoc tempore, cum Lacedæmoniorum opes maximæ eſſent, ueſtra quæ fuerint decora militaria; cum nihil patriæ laudibus indignum committentes, bellum contra illos fortiter pro libertate ſuſtinuiſtis. quò igitur hæc ſpectat oratio? nimirum huc, ut intelligatis, ac planè uideatis, ſecundam fortunam in uigilantia uobis eſſe poſitam, aduerſam in ſocordia. teſtes Lacedæmoniorum opes, quæ ſuperioribus annis à uobis fractæ cedebant, quia ſuam quiſque operam diligenter, ac ſtrenue reipublicæ nauabat: teſtes iniuriæ Philippi, quæ nunc animos noſtros timore perturbant, quia, quæ curanda nobis eſſent, omnia negligimus. quòd ſiquis ueſtrum hoc exiſtimat, Philippum bello ſuperare difficillimum eſſe; cum & ea, quæ ille bello parta nunc poſſidet, conſideret; & ad ea, quæ nos amiſimus, quæ multa ſunt, animum conuertat:

recte sanè existimat. sed idē hoc consideret, habuisse uos Pydnā, habuisse Potidæā, Methonē, finitimam omnem regionē: fuisse, quæ cum illo nationes hodie sunt, pleraſque sui iuris, ac liberas. itaq; esse animatas, ut illius amicitiæ uestrā anteponāt. tum igitur si hoc idem & Philippus sensisset, difficile bellum cum Athenienſibus esse, quibus ea loca ad illius uexandam regionem maximum adiumentum afferrent, cum ipse ab omni sociorum præsidio nudus esset: neque ex iis rebus, quas modo gessit, perfeciſſet ullam, neq; tantam sibi potentiam comparasset. sed nimirum hoc ille præclare uidit, belli præmia hæc esse omnia, in medio constituta: natura uero ita comparatum, ut absentes facultatibus exuantur à præsentibus, à strenuis ignaui. quod cum ita statuisset, occupauit quæcunque uoluit, & tenet, alia quidem bello subacta, alia uero (quandoquidem ad eos sese homines studio se applicant, atq; adiungunt, quos ad ea, quæ curanda sunt, & consilio uident, & animo paratos) in societatem, amicitiamq; tradu&ta. hunc igitur ita sentientem imitari si uolueritis, uosq; ò Athenienſes, quales antea non fuistis, aliquando præstare; idest, ut, quibus rebus opem reipublicæ

ferre oportet, in iis rebus pro uirili parte unuſquiſque ueſtrum ſine ulla diſſimulatione, ac mora ſe exerceat; qui locupletes ſunt, pecunias conferant; qui ætate uigent, arma capiant. denique, ut ſummatim complectar, ſi rerum ueſtrarum ipſimet curam ſuſcipere uolueritis; ne id, quod antea, committatur, cum in ſuo quiſque munere tardus, atque indiligés, de eo, quod ad ipſum attinebat, ſpem omnem in uicino reponeret: prædico uobis; non ſolū ea, quæ nunc habetis, diis approbantibus conſeruabitis; uerum etiam ea, quæ uobis otioſis, ac languentibus adempta ſunt; ita recuperabitis, ut ille, qui ademit, debitas pœnas, ac ſuo dignas ſcelere perſoluat. neque enim Philippum diis immortalibus ſimilem putetis; quorum fortunæ ita fixæ ſunt, ut eas conuellere nulla res poſſit, ſunt, qui illum odere, qui timent, qui inuident, & ex iis maxime, qui diligere illum præcipue uidentur: quæq; cæteris hominibus contingunt, eadem & iis, qui cum illo ſunt, ineſſe omnia credibile eſt. at hæc latuerunt omnia, nec ſeſe hactenus cō tra Philippum patefecerunt. uitium id quidem ueſtræ tarditatis, ac negligentiæ fuit: quam abiicere aliquando oportet. uidetis enim, quo in ſta

tu res sit, cum iste eò peruenerit licentiæ, ut neque agendi uobis, neq; quiescendi potestatem det, sed minetur, & sermones, ut audimus, superbiæ contumeliæq; plenos habeat; tantumq; absit, ut iis locis, quæ occupauit, libidinem suã satiauerit, ut etiam semper aliquid appetat, atque ambiat; uosq; futura spectantes, atque otiose sedentes suis præsidiis undiq; concludat. quãdo igitur, quando ea, quæ ad uestram salutem pertinent, agetis Athenienses? cum necessitas coget? per deos immortales, quæ nã necessitas? quid autem opus est necessitatẽ expectare? ego enim ita censeo, maximam necessitatem liberis hominibus esse infamiam ac dedecus. obsecro uos, uultis ne per forum oberrantes uos ipsos interrogare, num quid est rerum nouarum? potest enim fieri quidquam magis nouum, quam ut Macedo Atheniẽses bello premat, Græciæq; imperet? obiit ne Philippus? minime id quidem, sed ægrotus languet. quid ad uos? etenim, si quid illi humanitus acciderit, uos tamen, cum ita estis in re uestra negligentes, uos inquam ipsi o Athenienses alterum Philippum illico creabitis. neque enim hic sua uirtute potius, quàm uestra ignauia, tantus factus est. proin-

de, si quid tale contingat; & fortuna, quæ nobis melius, quàm ipsi nos, semper consuluit, utamur secundissima: (cur enim contingere non possit?) sine dubio, in eiusmodi rerum omnium perturbatione si occasionem urgeretis, res è sententia succederet. quales autem nunc estis, ne si recuperandæ quidem Amphipolis facultas uobis detur maxima, præstare id possitis, quandoquidem suspensi, atque incerti neq; agitis quidquam, neque, quid agendum sit, deliberatis. Vestra igitur quænam esse debeat in tuéda libertate tum concordia, tum etiam alacritas si modo uobis officio uestro satisfacere propositum est, quia non dubito quin ipsi intelligatis, ac persuasi iam sitis, id omittam: qui uero apparatus esse debeat, quem ad animos uestros cura liberandos idoneum esse putem; qui militum numerus, quæ pecuniæ ratio, alia præterea ut & optime & celerrime iudicem posse comparari; hoc uero conabor ostẽdere: si prius hoc à uobis Athenienses petiero, ne quid iudicetis, neue quid prius opinione præripiatis, quàm ea, quæ dicturus sum, omnia audieritis. quod si cuiquam de nouo apparatu ab initio uerba uidear facere, is me moram rebus iniicere ne

censeat. non enim qui celeriter, ac primo quoque die agendum esse dicunt, ii maxime, quod è republica sit, dicunt, cum ea, quæ facta iam sunt, auxilio quamuis subito prohibere nequeamus: sed is, qui ostenderit, & qui apparatus, & quantus, & unde sustinere bellum eò usque possit, quoad uel cõditionibus re composita utrinque arma deponantur, uel hostibus deuictis uictoriam reportemus. huius enim consilio nostris rationibus in posterum optime cauebitur. Hæc igitur ego ut ostendam, operam dabo, minime impediens si quid aliquis præterea defert. nec ignoro magnum esse, quod polliceor: sed argumentum res iam dabit: uos iudicabitis. Primum igitur hoc sentio, ac statuo, triremes esse comparandas quinquaginta: deinde, ita uos animatos esse debere, ut in has ipsi, si res exigat, ascendentes nauigetis: tum, ut ad equitatus dimidiam partem traiiciendam triremes alias & nauigiorum idoneum numerum adornetis. atq; has quidem copias ad tumultuarium ex illius regione exercitum, siue ad Pylas, siue ad Cherrhonessum, siue Olynthum, seu quò uos Philippus urserit, opponendas censeo. omnino enim danda opera est, ut hoc ille

ille sentiat, statuisse uos nimiam istam negligentiam abiicere, & pulcherrimum illud exemplũ renouare, quod ad Eubœam, quod etiam superioribus temporibus, ut aiunt, ad Haliartum, quod deniq; pauloante ad Pylas edidistis. quod autem fieri dico oportere, etiam si uos id facere nolitis, meum tamen consilium plane contemnẽdum non est: fiet enim, ut Philippus, uel ob metum, cum uos ita paratos instructosq; sciet (certo autem exploratéq; sciet: sunt enim, sunt inquam ex uobis ipsis, qui omnia illi significent, plures quàm par sit) armis abstineat: uel si hæc neglexerit, incautus opprimatur cum nemo sit, qui uobis impedimento esse possit, quo minus ad illius regionem, si occasio data fuerit, nauigetis. Hæc sunt, quæ probari à cunctis, quæ parari dico, ac iudico oportere. etiã illud addo, ualde mihi uideri è republica fore, si quæ copiæ in procinctu, quasiq; in manibus uobis sint, quæ continenter bellum gerant, & Philippum damnis afficiant: at quæ cópiæ? non externorum militum decem aut uiginti millia, neque cuiusmodi sunt hæ, quæ per epistolas conscribi solent: sed ex ipsa ciuitate, ex uobis inquam ipsis deligi has copias ue

lim, siue enim unum ducem, siue plures, siue hunc, siue illum, seu quemcunque creaueritis, huius dicto audientes erunt, hunc sequentur. Alimenta præterea unde habeant, curãdum uobis est. Ipse uero exercitus quis erit & quãtus? & unde commeatum habebit? & ad hæc agenda quam nam inibitis rationem? cognoscite à me: ego enim hæc separatim singula percurram. Externum militem conducendum esse dico, neque committendum id, quod sæpe rebus uestris damna importauit, hoc inquã, quod omnia minoris, quàm oportet, æstimantes, & in decretis maxima statuentes, mox in agendo ne minima quidem præstatis, at uos minima potius facientes, & comparantes, his addite, si minora uideantur. Dico igitur militum omnino duo millia esse oportere, in his Athenienses quingentos, eius ætatis, quam uos maxime probabitis, qui certum ad tempus, non hoc diuturnum, sed quàm diu è republica uisum fuerit, stipendia faciant, aliis deinde in eorum locum succedentibus. reliquos uero externos esse uolo, & cum his equites ducentos in quibus Athenienses haud pauciores quinquaginta, eadem, qua pedites, conditione militan-

tes: quibus conuehendis idoneus nauium numerus adsit. sic igitur fiat. num quid præterea? celeres triremes decem. cum enim classem Philippus habeat, nobis item celeres triremes, quo sit nostris copiis tuta nauigatio, necessario sunt. unde autem his commeatus parabitur? & hoc ego dicam, atque ostendam, posteaquàm, cur & hunc tantulum exercitum putem sufficere, & ciues nostros militare uelim, docuero. Numerus hic mihi propter hanc causam ò Athenienses placet, quòd hoc tempore cum exercitum nobis comparare eiusmodi non liceat, qui contra Philippi exercitum in acie constituatur; sed prædari necesse sit, itaq; belli principia administrare: sequitur, ut is neque immensus (deest enim & stipendium, & uero etiam alimentum) neque tamen plane contemnendus esse debeat. ciues autem ut adsint, simulq; nauigẽt, propterea mihi placet, quòd antea quoque, cum respublica externorum militum exercitum, cui Polystratus, & Iphicrates, & Chabrias, aliiq; nõnulli præerant, in Corintho aleret, uos item ipsos simul cum his audio militasse. idẽq; & hoc audiui, ac didici, cum exercitus uester tum ex peregrinis militibus, tum ex ciuibus constaret,

ret, Lacedæmonios acie fudisse. ex quo autem soli peregrini uestro in exercitu sunt; hi quidem amicos, & socios uincunt, hostes autem supra modum uiribus aucti sunt. bellum reipublicæ ubi quasi per transennam huiusmodi copiæ semel aspexerunt, ad Artabazum, seu quo magis libuit, enauigantes abeunt: dux autem simul proficiscitur, necessitate uidelicet coactus: imperare enim non potest, qui stipẽdium non numerat. quod est igitur meum consilium? ut pecunias in stipendium comparetis, ne qua uel duci uel militibus excusatio relinquatur: tum ut milites urbanos, quasi censores, & spectatores peregrinorum apponatis. enimuero, quo modo nunc quidem rempublicam gerimus, admodum ridiculi sumus. si quis enim ita uos interroget, num quid pacatæ sunt res uestræ Athenienses? minime Herculẽ, dicatis: sed cum Philippo bellum gerimus. Non ex uobis ipsis decem centuriones, & duces, & tribunos, & equitum magistros duos creauistis? quam igitur operam hi reipublicæ præstant? unus in officio est, quem ad bellum emisistis: reliqui simul cum sacerdotibus sacra celebrantibus pompas uobis ducunt, ita quemadmodum figuli lutea uasa, quæ

in foro expoſita uiſantur, ſic uos & centurio-
nes, & tribunos ob eam cauſam creatis, ut in fo
ro ſpectentur, non ut armis rempublicam foris
tueantur. neque enim ueſtros centuriones, ue-
ſtros equitum ductores, quaſi præſides urbis
domi ſedere oportebat, ut urbanus exercitus re
uera eſſe poſſet; ſed in Lemnum equitum ducto
rem nauigare, Menelaum autem ad libertatem,
qua de agitur, defendendam ducem ſe præbe-
re. neque uero hæc ad hominis ignominiam à
me dicuntur: ſed quemcunque creaſſetis, ta-
lem eſſe oportebat, quicunque is eſſet. Atque
hæc, quæ dico, recte quidem à me dici fortaſſe
exiſtimatis; de pecunia uero, quanta futura ſit,
aut unde comparabitur, cupitis cognoſcere.
ne hoc quidem prætermittam. Talenta igitur
nonaginta, aut paulo amplius, alimenti cauſa,
pro his tantummodo copiis curentur: hoc eſt,
decem uelocibus nauibus talenta quadragin-
ta, in ſingulas uidelicet ſingulis menſibus ui-
cenæ minæ: duobus millibus peditum totidem
talenta; ut drachmas quiſque denas annonæ
cauſa ſingulis menſibus capiat: equitibus du-
centis, ſi tricenæ ſingulis drachmæ in menſe
numerandæ ſint, duodecim talenta, quod ſi-

quis est, qui alendis militibus exiguam hanc esse copiam putet; opinione fallitur. mihi enim dubium non est, quin, si hoc fiat, reliqua sit ipse sibi miles ex bellica præda paraturus, nemine Græcorum, aut sociorum stipendii causa læso. & cum his ipse ego mea sponte sum nauigaturus, paratus ad quæque perferenda, nisi hæc ita se habeant. unde igitur pecunia, quam à uobis in stipendium erogandam esse decerno, conficietur? hoc iam dicam. quæ igitur nos quidem ò Athenienses excogitare potuimus, hæc sunt. uos autem in ferendis sententiis, quæ maxime probabuntur, ea statuitote, ut ne decretis tantum, & epistolis, sed rebus etiam ipsis cum Philippo bellum geratis. Ac mihi quidem, & de bello, & de toto apparatu consideranti, maxime futurum è republica uidetur, si, qua in regione belli sedem constituetis, eius regionis naturam cogitatione prius, ac mente examinabitis: simulq; illam uobis rationem proponetis, Philippum uentis, & certis anni temporibus utentem loca multa occupasse, suamq; in ditionem ac potestatem redegisse: cum, Etesiis obseruatis, aut per hyemem occasione capta, quo tempore accurrere nobis ad nostra tuenda ma-

ture non licet. ipſe impetum facit. Vobis igitur hæc ſunt conſideranda; omnisq; belli gerendi ſpes non in auxiliis ſociorum, nihil enim opportune ſatis ageremus, ſed in continuo apparatu continuisq; copiis reponenda. erunt autem percommoda ueſtris militibus hiberna in Lemno, Thaſo, Sciatho, aliisq; proximis inſulis, in quibus & portus, & frumentum, quæq; exercitibus neceſſaria ſunt, abunde omnia ſuppetunt. de anni uero tempore, cum ſcilicet ad terram liceat accedere; aut quibus uentis ipſam regionem, & emporiorum oſtia petere ſit tutum, non difficilis erit animaduerſio. pertinent hæc ad eum, quem uos exercitui præfeceritis: qui & de re, & de tempore cõſilium ex occaſione capiet. ego, quæ uos agere oporteat, expoſui. Pecunias primum, quas dixi, deinde & alia omnia ſi mature curabitis; & milites, triremes, equites, copias plane uniuerſas lege lata diſcedere à bello prohibueritis; ipſiq; & cuſtodiẽdæ diſpenſandæq; pecuniæ curatores, & de rebus à duce geſtis quæſitores eſſe uolueritis: uos quidem diuturnæ ſolicitudinis finem reperietis, qui ueſtris de rebus aſſidue deliberatis, præterea nihil agitis: Philippus uero, quod compendium habe-

bat maximum, eo priuabitur. quodnam autem compendium hoc est? ueſtrorum uos oppugnat ſociorum facultatibus, dum eos mare nauigantes capit, atque abducit. quid præterea? hoſtibus damna inferetis, ipſi extra damnum in tuto collocati. quod contra ante hoc tẽpus accidit: nam neque, cum in Lemnum atque Imbrum impetu facto captiuos abduxit ciues ueſtros; neque, cum ad Geraſtum, magno nauigiorum numero intercepto, uim auri, argentiq; immenſam coegit; neque uero, cum in Marathonem deſcendit, & ſacram inde triremem auexit; uos hæc prohibere, aut opem ferre ſatis tempeſtiuam potuiſtis. At quid eſſe tandem cauſæ exiſtimatis, cur & Mineruæ & Bacchi dies feſti, ſiue nobiles uiri, ſiue infimi homines id muneris ſortiti ſint, ſemper ſuo tempore celebrentur, & quidem tanta in eam celebritatem erogata pecunia, quanta nullam in claſſem; tanta operariorum frequentia, tantoq; apparatu, quantus an unquam fuerit, ignoro: contra ueſtris claſſibus inſtruẽdis ita tempus ducatis, ut elabatur occaſio, ſicuti ad Methonem, Pagaſas, Potidæam? quod illa, quæ ad feſtos dies pertinent, lege ſunt omnia conſtituta: ne-

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMANA VITTORIO EMANUELE

que ueſtrum eſt quiſquam, quin multo ante præ uiderit, quis curatot, quis in tribu ludorũ præ fectus; quando eum, & à quo, & quid accipere, & quid agere oporteat. nihil in hoc genere non certum, nihil non definitum, cautum eſt diligẽ tiſſime. at uero in iis rebus, quæ ad bellum belliq; apparatum ſpectant, nihil non præter ordinem, nihil non confuſum, nihil non planè perditum. itaque, ſimul ac exauditum aliquid eſt; & nauarchos creamus, & retributiones facimus, & de conficienda pecunia deliberamus: tum, ut coloni noſtri, quiq; ſeparatim habitant, in claſſem aſcendant, ſtatuere ſolemus; & rurſus, ut iidem mox deſcendant. hæc dum differuntur, illa ſcilicet, quorum cauſa claſſem inſtituimus, interea perierunt. quod enim gerendis rebus tribuere tempus deberemus, id conterimus in apparãdo. rerum autem occaſiones ueſtram tarditatẽ, & negligentiam minime expectant. interea temporis quas eſſe nobis auxilio copias opinamur, eas, ubi res ipſa poſtulat, inutiles prorſus experimur. iſte uero eò deuenit inſolentiæ, ut Eubœnſibus huiuſmodi iam epiſtolas mittat.

EPISTOLA.

Quæ audiuiſtis Athenienſes, pleraque ſa-

nè, contra quàm oportuit, uera sunt, sed auditu fortasse non iucunda. quòd si quis consequi possit, ut ea, quæ ipse oratiõe tacitus præteriit, ne scilicet molestiam pareret, omnino re non essent: nihil obstat, quo minus ad uoluptatem omnes concionentur. sin gratificari concionibus minime conuenit: primum in ipsa re damnum est; deinde, per inanem credulitatem decipi, turpe est. certe enim turpiter errant, qui omnia, quæcunque difficilia sint, usque eò producunt, ut deinde alieno tempore faciant; neque possunt id cognoscere, sapientes duces non subsequi res, sed anteire ipsos rebus oportere. quémadmodum enim exercitibus iure præesse ductorem dixeris, eadem ratione & eos, qui recte intelligunt, præesse rebus æquum est; ut agant scilicet, quæ ipsi probauerint; non ut incertis fortunæ casibus sese committere cogantur. uos uero Athenienses, qui potétia omnibus gentibus antecellitis, classe, peditatu, equitatu, pecuniis: his quidem rebus nunquam non utimini, sed nulla tamen hactenus in tempore usi estis. bellum autem ita geritis cum Philippo, ut barbarorum pugilum certamina referatis: quorum hæc est in pugnis consuetudo: qui plagam acce

pit, ad eum locum, ubi læsus est, præsidii causa manus admouet. quòd si quis ex altera parte percusserit, eò quoque manibus accurrit. præmunire uero, aut paria reponere, neque nouit, neque uult. uestra ratio non dissimilis est. nam si Philippum in Cherrhonessum audistis impetum fecisse, illò statuitis auxilium mittere: si in Pylas, illò: si quò præterea, sursum deorsum concursatis: quasiq; ad illius præscriptum militetis, ita nihil neque de bello consulitis, pro re uestra, neque prouidetis ante, quàm aut factum iam, aut fieri aliquid exaudistis. quam tardita tem antea fortasse temporum conditio patieba tur: nunc eò deuenimus: ut eidem culpæ locus minime sit. ac mihi deus aliquis uidetur ò Athenienses, quod ob ea, quæ à uobis in republica peccantur, erubescat, propterea istam Philippo rerum gerendarum cupiditatem iniecisse. nam si opibus bello partis contentus esse uellet, nihil præterea moliretur: nonnullos opinor è uobis esse, quibus ea conditio probare tur, quorum culpa ignominiam communiter omnes subiremus, qui & imbelles atque effœminati, & usquequaque turpes haberemur. cũ uero quotidie aliquid aggrediatur, maioremq;

poten-

potentiam appetat; profecto uos è somno excitabit, nisi si de uobis ipsis planè desperastis. nō possum autem non maxime mirari, si nemo uestrum neque considerat, neque indignatur, cum uideat bellum initio propter eam causam susceptum esse, ut illatas à Philippo ulciscaremur iniurias; nunc ideo geri, ne quid ipsi ab eodem patiamur. nec uero dubitandum est, quin ille, nisi quis occurrerit, ueteribus iniuriis nouas etiam adstruat, atque accumulet. hanccine feremus ignominiam? & inanes triremes si emiseritis, cum ea spe, quam de isto cepistis, præclare omnia successura existimatis? non exibimus? non ipsi hoc tempore, si minus antea, cū urbanarum copiarum parte egrediemur? non ad illius regionem adnauigabimus? quonam appellemus, dicat aliquis? bellum ipsum Athenienses, quà sit ille infirmus, nobis indicabit, si modo aggredimur. sin autem domi sedemus, oratorum conuitiis mutuisq; accusationibus aures oblectantes, nihil unquam à nobis, quod è republica sit, administrabitur. quò enim pars aliqua ciuitatis cursum direxerit, etiam si non omnis adsit, ibi opinor & deorum benignitas, & ipsa in nostris præsidiis fortu-

na pugnabit. quò uero ducem, & inane decretum, & ſpes de concione miſeritis, ibi nihil geritur pro uoluntate: & cum ipſi ab hoſtibus deridemur, tum ſocios noſtros, ex huiuſmodi apparatibus de ſalute deſperantes, metus exanimat. non poteſt enim, non poteſt unus homo, quæcunque cupitis, hæc uobis omnia præſtare: promittere quidem, & monere, & hunc & illum accuſare poteſt. ſed hæc noſtras fortunas euerterunt. cum enim externorum militũ dux, qui promiſſo à uobis ſtipendio miſeri fraudabantur, uictus acie ſit; apud uos autem facile exiſtant, qui ea, quæ ille in bello egerit, ementiantur; & uos ex aliorum ſermonibus decreta quælibet temere faciatis: quid eſt, quod ſperãdum uideatur? hæc igitur qua ratione corrigentur? ſi ad militiam uoſmet ipſi prodibitis, ut & commilitonum ueſtrorum in bello teſtes, & dum iudices, ubi domum ueneritis, iidem eſſe poſſitis. non enim ea, quæ ad uos ipſos attinẽt, auribus duntaxat accipere, ſed oculis præſentes intueri uos oportet. nunc autem eo turpitudinis redactæ res ſunt, ut quilibet ueſtrorum ducum biſq; terq; apud uos de capite cauſam dicat, cum aduerſus hoſtes nemo eorum ne ſemel

quidem decertare capitis cum periculo audeat, sed plagiariorum, & furum mortem turpissime deligant. malefici enim hominis est, iudicio damnatum necari: ducis autem cum hostibus pugnantem occumbere: at è uobis alii circumeuntes Philippum, dicunt de pernicie Thebanorum, & rerumpublicarum interitu consilia cum Lacedæmoniis inire: alii, qui legatos ad Regem Persarum misisse: alii, qui urbes in Illyrio munire: denique alii alia, ut cuique libet, fingentes oberramus. ego uero sane illum existimo rerum gestarum magnitudine ebrium esse, multaq; huiusmodi quasi somniãtem in animo uersare, utpote qui tum aduersariorum infrequentiam animaduertat, tum suis ipse gestis extollatur: minime autem sic agere constituisse, ut apud uos homines stultissimi, quid facturus ille sit, dispicere potuerint. sunt enim stultissimi certe, qui rumores dissipãt huiusmodi. quòd si hæc dimittentes illud consideremus, & inimicum esse Philippũ, & nostra nobis eripere, & iniurias pridem intulisse, & quæcunque nostra causa facturum unquam sperauimus, ad nos oppugnandos omnia conuertisse, reliqua in nobis ipsis esse; & hoc tempore bellum illic aduersus ipsum

gerere si nolimus, procul dubio futurum, ut hic gerere cogamur: hæc inquam si consideremus, id assequemur, ut neque ea, quæ pro republica sunt, ignoremus, neq; sermonibus inanibus operam demus. non enim, quæcunque futura unquam sunt, considerare uos oportet, sed perniciem inde euenturam, nisi caueatis, & opportuna remedia adhibeatis, sapienter prænoscere. Equidem cum antea nunquam loqui ad gratiã instituissem, nisi quod & uobis profuturum mihi ipse iam persuasissem: tum uero nunc ea, quæ sentio, simpliciter omnia, nihil dissimulans, libere dixi. quòd utinam, quemadmodum optima uobis intelligo audientibus prodesse, sic optima intelligerem dicenti profutura: dixissem enim multo libentius. nunc autem, cum obscurum esset, quisnam ex hoc meo consilio mihi ipsi exitus impenderet: quia tamen è re uestra fore, si hæc feceritis in animum induxeram, non putaui mihi esse faciendum, ut tacerem. uincat autẽ quæcunq; uobis uniuersis utilior est futura sententia.

DEMOSTHENIS contra Philippum oratio secunda.

CVM iis de rebus, quæ à Philippo aguntur, & contra pacem quotidie committuntur, orationes habeantur: sanè ego in his orationibus tum iustitiæ, tum humanitatis quãdam speciem agnosco; & omnes, qui Philippum accusant, intelligo ea dicere, quæ pro republica uideantur: quæ uerò necessariæ res sunt, earum rerum, ut breui complectar, non modo fieri nullam uideo, sed nec eiusmodi quidquã, ut in audiendis oratoribus bene posita opera uideri possit: eoq; rationes ciuitatis iam deductæ sunt omnes, ut, quo quis acrius, atque apertius Philippum ostendat & pacem uobiscum sancitam uiolare, & Græcis omnibus insidias tendere; eo minus, quid agendum sit, deliberare possimus. cuius difficultatis causam huc refero, quòd omnes, qui aliena immoderate appetunt, rebus & factis coerceri, non uerbis oportet. primum quidem nos, qui de suggestu dicere solemus, his de rebus metu uestræ inimicitiæ neque decretũ

ullum proferre, neque uerba facere ausi sumus. quæ uero à Philippo aguntur, ut grauia, & acerba, & omnino ciuitati exitiosa, commemoramus: deinde uos, qui hoc in loco deliberaturi considetis, sanè uel ad sententiam egregie dicé dam, uel ad ueritatem ex alterius oratione cognoscendam, paratiores estis, quàm Philippus: ad ea uero, quæ nunc ille conatur, impedienda, imparatissimi estis. contingit autem, quod, ut opinor, & necessarium, & consentaneum certe fuit, ut quas res utrique tractatis, & in quibus uestra se exercet industria, in his rebus utrique excellatis, ille quidem in agendo, uos autem in dicendo. quòd si nunc item in uerbis, modo probabilia sint, tantum ponitis, ut ea per se sufficere putetis: neque difficilis, neque laborioſa res est. sin autem id quærimus, quo modo præsentem reipublicæ statum corrigere possimus; néue Philippus, nos omnes fallens, in augendis imperii sui uiribus usque eò progrediatur, ut opes deinde nobis tantas opponat, quantas ferre ne queamus: non eadem, quæ antea, consulendi ratio probanda uobis est; sed ita omnes planè, & qui de republica uerba facitis, & qui auditis, sentire debetis, ut iucundissimis & suauissimis uer-

bis res optimas, & salutares anteponatis. Primum igitur, si quis ò Athenienses animo confidit, cum, Philippi potentia quàm longe lateq; pateat, intueatur; neque ullum ab eo reipublicæ periculum imminere, neque contra nos hæc parari omnia iudicat; uehementer miror: uosq; omnes simul rogatos uelim, ut aures mihi uestræ tantisper pateant, dũ eas rationes breui narratione percurro, quæ me, ut & contraria timerem, & hostem statuerem esse Philippum, impulerunt: ut, si rectius ego, quàm alii, de futuris rebus uidear consulere; sententiam meam probetis: sin eorum, qui nihil timendum esse ipsi sibi persuaserunt, probabilior oratio uidebitur; hos sequamini. Ego igitur ò Athenienses ita ratiocinor; primum, quæ Philippus pacis tempore suam in potestatem redegerit, Pylas, aliaq; in agro Phocensi. quid igitur? quo modo hac potentiæ accessione usus est? quæ Thebanis cõducunt, non quæ nobis, agere constituit. quam ob rem? quia, ut arbitror, cum plus semper appetat, suasq; cogitationes non ad pacem, non ad otium, non ad ullam iustitiæ partem, sed ad unã ipsius potentiã referat, probe scit, nullam se nostræ ciuitati nostrisq; moribus spem tantã, ostẽ-

taturum, aut quidpiam eiusmodi facturum, quo uos adducere possit, ut illi, uestræ utilitatis ergò, aliorum Græcorum quenquam prodatis: contraq; eos esse non ignorat, qui ab æquo, & bono minime discedatis; qui, sicubi dedecus atque ignominiam uideritis, quasi à pestifero angue refugiatis; qui denique, quæ prouidenda sunt, omnia prouideatis; neque secus illi, si quid agere cõtra fas, & æquum aggrediatur, ob uiam ituri sitis, ac si bellum cum ipso gereretis. de Thebanis autem, id quod contigit, fore suspicatus est, ut beneficiis deuincti, quasi referendæ gratiæ loco sinerent illum arbitratu suo reliqua peragere; neque solum non repugnarent, aut impedirent, sed etiam, si iuberentur, iunctis armis unà cum ipso militarent. neque nunc aliud spectat, cum in Messenios, & Argiuos beneficia confert. quæ uestra est eximia sanè laus ò Athenienses. his enim factis Philippus, quid de uobis sentiat, indicauit: sentit enim certe, solos ex omnibus esse, quibus neque lucrum ullum, neque gratia, neque ulla omnino utilitas id persuadere possit, ut uel communem Græcorum libertatem esse prodendam, uel uestram erga eos beneuolentiam immutandã iudicetis.

iure

iure igitur & de uobis ita ſenſit, & de Argiuis, ac Thebanis aliter; qui nō hæc modo tempora præſens inſpiceret, ſed ſuperiora etiam mente, & cogitatione repeteret. comperit enim, ut opinor, atque audit, maiores ueſtros, cum imperium uniuerſæ Græcie conſequi poſſent, modo Perſarum Regi parere ipſi non recuſarent; non ſolum hunc ſermonem nō tuliſſe, cum Alexander horum proauus legatus his de rebus uenit, ſed urbem potius deſerere, & duriſſima quæque pati uoluiſſe; eaq; demum facinora edidiſſe, quæ cōmemorare omnes quidem ſemper uoluere, pro dignitate autem nemo potuit: quare & ipſe prætermittam: maiora enim illorū ſunt facta, quàm ut ea complecti oratione quis poſſit. contra uero, Thebanorum, atque Argiuorum proauos cōperit aut barbaro ſocios, aut non aduerſarios in bello extitiſſe. utriſque igitur propriam utilitatem ita dulcem ſcit futurā, ut de cōmuni Græciæ cōmodo minimum laborent. ſtatuebat igitur, ſi uos amicos delegiſſet, tātiſper uos eſſe amicitiā conſeruaturos, quatenus ille iuſtitiam coleret: ſin autem illos ſibi adiunxiſſet, ſuæ cupiditatis, atque auaritiæ ſocios adiutoresq; futuros. his de cauſis & nunc amici-

tiæ ueſtræ ſocietatem illorum anteponit. non enim aut uobis illos numero nauium uidet antecellere: aut, cum in continenti eximiam quãdam potentiam ſibi comparauerit, de mari, atque emporiis minime laborat: aut denique ſermones illos, & promiſſa, quibus pacem adeptus eſt, ex memoria deleuit. uerum enimuero (ſi diis placet) dixerit aliquis, Philippum, hæc uidentem omnia, non auaritiæ cauſa tunc illa feciſſe, neque quòd is eſſet, quem accuſatio mea deſcribit; ſed quòd Thebanorum cauſam iuſtiorem quam noſtram, exiſtimaret. minime. hac enim potiſſimum excuſatione maxime omnium ipſe excluditur. qui enim Lacedæmonios urbe Meſſene iuſſerit cedere; Thebanis Orchomenum, & Coroneam tradiderit; hæc ſe ideo feciſſe, quia iuſta exiſtimaret; quo figmento poterit probare? At fecit, credo, ui coactus (hoc enim reliquum eſt) & Theſſalorum equitatu, Thebanorum peditatu præter opinionem circumcluſus. metu iſta conceſſit. præclare. itaq; dicunt, Thebanis illum quidem diffidere, neque ſibi amicos iudicare, ſed quia tempus ita poſtulet, diſſimulare. rumoresq; à nonnullis per urbem diſſeminantur, Elateam eſſe muniturum.

hæc uero differt ille quidem, & differet, ut ego iudico: cum Meſſeniis autem, & cum Argiuis impetum in Lacedæmonios facere non differt, ſed & milites peregrinos immittit, & pecunias ſuggerit, & adeſt ipſe ex nimia potentia formidabilis. hoſtes igitur Thebanorum Lacedæmonios perdit: Phocenſes autem, quos ipſe antea perdidit, nunc ſeruat. quis iſta crediderit? certe enim Philippus, ut quidem ego puto, neque ſi antea ui adductus contra uoluntatem illa feciſſet, neque ſi nunc de Thebanis male cogitaret, illorum inimicis perpetuus eſſet aduerſarius. ſed ex iis, quæ nunc agit, illa quoque de induſtria ipſe ſe egiſſe non obſcure indicat. quæ ſiquis omnia ratione, ac méte perluſtrauerit, dubitare non poterit, quin omnes ab illo quaſi machinæ ad oppugnandam rempublicam comparentur. atque hoc ipſum, quod facit, quodam modo iam facit neceſſitate coactus. ſic enim cõſiderate. imperare uult: uos autem imperare cupienti ſolos duxit aduerſarios. iniuriam infert multis iam ab hinc annis, & huius culpæ ipſe ſibi conſcius eſt optime. quæ enim uobis erepta loca tenet; his factum eſt, ut reliqua extra periculum omnia poſſideret. ſi enim Amphipo-

lim,& Potidæã amitteret;ne domi quidem tuto putaret esse posse. nouit igitur utrunq;, & se uobis insidiari, & uos insidias illius non ignorare. sapere autem uos cum intelligat,odio se uobis esse iure putat. quo stimulo excitatus est,ueritus ne quam à uobis, si occasionem nacti essetis,calamitatem ferret,nisi ipse anteuertisset. his de causis euigilauit, in rempublicam impetum fecit, Thebanorum Peloponnesiorumq; nonnullos eadem sentientes,quos & propter auaritiam habendiq; cupiditatem rebus nouis delectari putat, & propter imperitiam futura non prospicere, omni obsequio studioq; colit. ac licet sanè uel mediocriter sapientibus exempla illa perspicuè uidere, quæ mihi,& cum ad Messenios & cum ad Argiuos dicerem,contigit exponere. nec, opinor, eadem apud uos commemorasse fuerit inutile. Quam inuitos, dicebam, ò Messenii, Olynthios putatis audisse, si quis contra Philippum illo tempore uerba faceret,cum Anthemuntem,cuius urbis possessionẽ superiores omnes Macedoniæ reges summe cõ cupierant, ipsis concedebat? aut cum, eiectis Athenienſium colonis, Potidæam dono dabat? aut cum uestras inimicitias ipse quidem su

sceperat, illis autem fruendam regionem permiserat? an expectasse, eadem ipsos esse passuros; aut, siquis diceret, credidisse? ne putetis. at tamen, dicebam, cum aliena exiguum ad tempus possedissent, propria in multos annos illo eripiente amiserunt, coacti turpiter abire, cum non modo uicti, sed proditi, ac uenditi etiam à suis essent. non enim rebus publicis tutæ sunt nimiæ cum Tyrannis familiaritates. Quid porrò Thessali? an putatis, dicebam, cum ipsorum tyrannos Philippus eiiciebat, & insuper Nicæam ac Magnesiam restituebat, futurum timuisse, ut apud ipsos nunc Decemuiratus constitueretur? aut, qui Pylæam elargitus erat, ut his propria ipsorum uectigalia eriperet? nequaquam. at hæc euenerunt, & perspicua sunt omnibus. uos uero, dicebam, dantem, & promittentem spectate Philippum: aspectum autem, & familiaritatem illius, cum iam uos deceperit, atque in fraudem induxerit, si sapitis, auersamini. tuendis, & conseruandis urbibus multa me hercule, neque ea uniusmodi sunt excogitata; ut aggeres, muri, fossæ, & huius generis alia. quæ quidem sunt omnia manufacta, & impendia requirunt maxima. unum autem natu-

ra commune quoddam ſapientium propugnaculum in ſe ipſa comparauit; quod omnibus utile illud quidem eſt, ac ſalutare, ſed rebus publicis contra tyrannos maxime. quidnam igitur hoc eſt? diffidentia. iſtam conſeruate: iſtam tenete mordicus: iſtam ſi non dimittetis, nihil graue ſuſtinebitis. quid igitur cupitis, dicebã? libertatem? num'ne Philippum ab hac ita uidetis eſſe alienum, ut nec nomen ipſum ferat? Reges enim, & tyranni, libertatis hoſtes omnes ſunt, legibusq; contrarii. non cauebitis, dicebam, ne, dum uos è bello cupitis eximere, dominum inueniatis? hæc illi cum audiſſent, ac planè tumultuarentur, aliaq; à legatis multa & me præſente, & iterum poſtea cognouiſſent; nihilo minus, ut res indicat, Philippi amicitiam, promiſſaq; ſequentur. neque uero eſt, cur abſurdum uideatur, ſi Meſſenii, & Peloponneſiorũ nonnulli, contra quàm optima ratio perſuadet, aliquid committunt. recte abſurdum uideretur ò Athenienſes, uos ſi peccaretis, qui & ſapitis ipſi, & monentibus nobis aures datis, monentibus inquam, id quod res eſt, inſidiis rem publicam peti, indagine cingi, futurum ut per ueſtram ignauiam, ſenſim, &, ut uideo, uobis

imprudentibus eò deueniat, ut miſerrima quæque ſuſtineat. adeo uobis & præſens uoluptas, & otium pluris, quàm mox futuri commodi ſpes, eſt. Verum, quæ uobis agenda ſint, uoſmet ipſi poſtea, ſi modo ueſtri cura uobis erit, deliberabitis: quæ uero nunc ad reſponſa legatis danda ſtatuere uos oporteat, hæc ego iam exponam. ſed enim eos, qui promiſſa illa detulerunt, quibus adducti pacem feciſtis, huc aduocare æquum erat. nam neq; ipſe unquam, ut legationem obirem, animū inducere potuiſſem; neque uos certe, ut arma deponeretis, ſi Philippum, pacem aſſecutum, ea, quæ facit, facturum iudicaſſetis. ſed erant longe ab his aliena, quæ tum dicebantur. Erat item æquum, & alios accerſere. quos? eos nimirum, qui, cum ego, facta iam pace, è poſteriore legatione, quam iuriſiurandi recipiendi cauſa obiueram, reuerſus, deceptam rempublicam intelligens, futura prædicebam, deosq; ſimul hominesq; conteſtans, Pylas, & Phocenſes prodi uetabam, mirandum eſſe negabant, ſi difficilis quidam ac moroſus ego homo eſſem, quando quidem aquam biberem: Philippus enim, ſi aduenerit, nihil ex ueſtra ſententia non adminiſtrabit Theſpias, & Platæas

muniet: Thebanorum iniuriis finem imponet: Cherrhoneſſum ſua unius impenſa perfodiet: Eubœam, Oropum uobis pro Amphipoli reſtituet. hæc enim tunc pro concione dicta eſſe, non dubito quin memoria teneatis: quanquam memores iniuriarum eſſe non admodum ſoletis. quoq; turpius nihil eſt, decreuiſtis, ut poſteri quoque hanc ipſam pacem cum bona ſpe reciperent: ita penitus iſti uos promiſſis induxerunt. quorſum autem hæc ego nunc commemoro? & iſtos huc aduocandos eſſe dico? uere mehercule uobis, ac libere narrabo, neque à me quidquam occultabitur. non ob eam cauſam aduocari eos oportere dico, ut ego illis, illi pariter mihi conuitium faciant, ex quo meis inimicis noua capiendæ iterum à Philippo pecuniæ præbeatur occaſio: neque uero, ut fruſtra garriam: ſed quia futurũ puto, ut ea, quæ Philippus agit, uehementius, quàm nunc, aliquando uos afficiant, propterea dico. uideo enim, quo modo res ſerpat. quòd utinam uera ne uaticiner: ac uereor, ne proprius iam hæc adſint. quãdo igitur uobis ea, quæ contingunt, negligere amplius non licet; & ad euertendam rempublicam hæc ſpectare, non iam à me, aut à quoquã diſcitis,

discitis, sed omnia ipsimet inspicitis, optimeq; intelligitis: uehemens, ut opinor, in animis uestris exardescet iracundia. sed uereor, ne, tacentibus iis, qui nostra mala peperere, quia sibi ipsi corruptelarum conscii sunt, ii, qui rempublicam istorum culpa grauiter laborantem sanare aliqua ex parte conantur, ad extremum ex hoc facto uestram offensionem pro fructu excipiant. uideo enim ita contingere, ut iracundiã suam non in eos, qui peccarunt, sed in eos maxime, qui sub manu sunt, non nulli effundant. dum igitur & spirat adhuc, & aliquam formam respublica retinet; dum orationes nostras uicissim exaudimus: ego, Athenienses, unumquẽque uestrum, etsi optime nouerit, monitos tamen etiam atque etiam à me uolo, quis uobis persuaserit, ut Phocenses, ac Pylas destituueretis: quibus ille potitus, uiam sibi in Atticam regionem ac Peloponnesum patefecit, eoq; rem deduxit, ut non iam de alieno iure tuendo, nec de longinqua alia possessione, sed de Attica Athenienses, & de bello circa ipsam urbem gerendo deliberandum uobis esset. quod quidem bellum, cum affuerit, unicuique dolorem, ac molestiam dabit: illo autem, illo cõtractum est die.

niſi enim uos decepti tunc eſſetis, negotii reſpu. nunc nihil haberet. certe enim neque nauali pugna uictor in Atticam unquam claſſe ueniſſet Philippus, neque pedeſtribus copiis ultra Pylas progreſſus & Phocenſes eſſet: uerum aut abſtineret ab iniuria, pacemq; ſeruãs quieſceret; aut, ſi bellũ gereret, eiuſmodi fortuna uteretur, qualis illa fuit, cuius cauſa pacem antea cõcupiuit. hæc ut uos commonefacerem, ſatis commode à me dicta ſunt: ut uero diligentius inquirantur, omnes dii prohibete. neminem enim uelim, ne ſi exitio quidem dignus ſit, ſimul cum omnium periculo, ac damno pœnas luere.

DEMOSTHENIS
Philippica tertia.

CVM multæ, ò Athenienſes, orationes in omni ferè concilio de iis iniuriis habeantur, quæ non uobis modo, ſed reliquis etiam Græcis à Philippo, ex quo pacem fecit, inferuntur; cũq; certum mihi planè ſit, dicturos eſſe omnes, etſi re non idem præſtent, oportere tum uerbis, tũ uero rebus ipſis proſpicere, ut ille abſtineat ab iniuria, meritasq; pœnas pendat: eò deducta, progreſſaq; omnia cerno, ut uerear, ne quod dicam, minus pie illud quidem, ſed uere tamen dici poſſit. Ego, ſi, quod maxime contra rem pub. foret, oratores omnes ſuadere, uosq; ſuffragiis ueſtris comprobare uoluiſſetis, nihilo deteriore loco, quàm nunc eſt, fuiſſe Rempu. futuram arbitror. cumq; non una fortaſſe, aut altera, ſed multæ ſanè cauſæ ſint, quamobrem in hunc ſtatum, atque in hanc fortunam res noſtræ deuenerint: tum uero maximam, ſi diligẽter examinetis, huius incommodi culpam ſuſtinere eos reperietis, quibus ad gratiam cõcionari, quàm, quæ optima ſunt, dicere, magis placet.

quorum nonnulli cum honorem, ac potentiam, quam sibi eo nomine maximam compararunt, cum silentio tueantur, futura ratione non prouident, sed ne uos quidem prouidere arbitrantur. alii uero eos, qui gerendis in rebus uersantur, accusantes, & calumniis circunuenientes, nihil aliud agunt, quàm ut ciuitas quidem ipsa de se ipsa pœnas capiat, & in hoc se exerceat: Philippo autem, quæcunque uult, & dicere liceat, & facere. uobis hæc est familiaris, atque usitata gubernandæ reipub. ratio. à quo fonte perturbationes, erroresq; nostri deriuantur. Peto autem à uobis Athenienses, ut, si, dum ueritatem aperit, liberior fuerit oratio mea, ne quid propterea uos mihi succenseatis. sic enim considerate. uos libertatem sermonis aliis quidem in rebus ita communem omnibus in ciuitate putatis esse oportere, ut eam & peregrinis hominibus, & seruis etiam ipsis impertiamini: & quidem famulos multos maiore apud uos licentia quidquid uolunt, loquentes, quàm ciues in nõ nullis aliis ciuitatibus, licet inspicere: ex conciliis autem illam omnino eieciſtis. ex quo uobis hoc deinde contigit, ut in conciliis habendis omnia ad uoluptatem referatis, ueſtræq; au-

res iis pateant, qui beneuolentiam uestram blã ditiis, & assentationibus colligere non sibi turpe ducunt, in rebus autem, ac factis de summa iam republica periclitemini. si igitur eadem & nunc sententia, idemq; uobis animus est: quid dicam, non habeo. sin ea, quæ ciuitati expediũt, audire sine assentatiõe uolueritis: promptus ad dicendum, paratusq; sum. nam etsi pessime se habet, multisq; partibus comminuta respublica est: tamen eam, si modo in posterum, uti par est, aduigilare uelitis, sanare, planeq; in integrum restituere uobis licet. dicam, quod incredibile uideri potest, sed id tamen uere dicam: quod antea rempub. in rebus gestis maxime labefactauit, id ipsum in gerendis maxime confirmabit. quidnam igitur id est? hoc sanè, quòd, omnia uobis minima maxima negligentibus, de suo statu deiecta respublica est. alioqui, si nihil à uobis neglectum, aut prætermissum esset, neque tamen respublica non cõcidisset; ne spes quidem melioris fortunæ supereſset. nunc autem, uestram quidem ignauiam, ac negligentiam deuicit Philippus; ciuitatem uero minime deuicit; neque uos ab illo non modo superati, sed ne commoti quidem estis. quòd si Philip-

pum nobiſcum bellum gerere, pacemq; uiolare omnes confitemur: quid aliud oratori dicendum, conſulendum ue eſt, quàm quo modo illatas iniurias quamtutiſſime ac facillime referamus? uerum enimuero cum ita abſurde quidam animati ſint, ut & Philippo ciuitates occupante, & multa, quæ ueſtra erant, poſſidente, omnes denique homines contra ius & æquum diuexante, nonnullos tamen ferant qui è nobis eſſe aliquos, quorum opera bellum ſuſcitetur, in concionibus dictitant: hoc ut attente animaduertatur, atque etiam ut corrigatur neceſſe eſt. timendum eſt enim, ſiquis; ut aliquando Philippum ulciſcamur: dixerit ac ſuaſerit, ne is in concitati belli culpam incurrat. ego autem hoc primum omnium dico, aperteq; pronuncio: nunquid uobis deliberandi facultas eſt ò Athenienſes, utrum præſtet habere, pacem an bellum? nam ſi ut hinc ordiar, pacem habere ciuitas poteſt; & hoc in manu noſtra eſt: pacem ut amplectamur ego quidem auctor ſum: quiq; ita ſentiat, ab eo ut & uerbis, & re ſine ullo fuco in hoc elaboret, precibus contendo. ſin Philippus manibus arma geſtans, magnoq; ſtipatus exercitu, nobis quidem pacis nomen oſten

tat,re autem uera facit ea,quæ hoſtes in bello ſolent: quid aliud, quàm iniurias noſtras ulciſci,ac uindicare debemus? pacem ſanè appelletis,licet,quemadmodum ille. ſed ſi quis iſtam uere pacem exiſtimat eſſe,in qua ille,cum cætera iam omnia ſubegerit,ad nos recta contendet: primum quidem inſanit: deinde, pacem illi à uobis eſſe, non uobis pariter ab illo,ſtatuit. nimirum hoc eſt, quod effuſa omni pecunia Philippus emit; ut ipſe quidem uim uobis inferat, à uobis autem contra nulla referatur. quòd ſi eò uſque ita pergemus, quoad ille bellum ſe cõtra nos gerere fateatur: omnium erimus ſtultiſſimi: neque enim,uel ſi in Atticam ipſam, ac Piræeum ingrediatur,hoc fatebitur: ſi quidem ex iis,quæ in alios admiſit, coniecturam capere oportet. Hic eſt,qui Olynthiis,cum ab eorum urbe ſtadiis quadraginta diſtaret, alterutrum pronunciauit neceſſe eſſe, uel eos in Olyntho non habitare,uel ſe in Macedonia. deinde,ſiquis eũ propterea accuſaret, conqueri, & ad cauſam dicendam legatos mittere non desiit. At qualis in Phocenſes fuit? ad quos tanquam ad ſocios & amicos acceſſit. & erant,qui ipſum comitabãtur euntem, Phocenſium legati. & apud nos

multi, eam Philippi profectionem non utilem Thebanis fore, contendebant. eodemq; artificio usus etiam Phæras antea occupauit; cum in Thessaliam ut amicus ac socius ueniſſet. Proxime autem miseris Oritis, milites, dixit, beneuolentiæ causa se misisse, qui res eorum inuiserent: audire enim ipsos inter se dissidere, & domesticis discordiis laborare: esse autem bonorum sociorum, atque amicorum, eiusmodi temporibus non deesse. an existimatis, cum ille eos, qui nihil ei nocere, fortasse autem, ne quod ipsi detrimentum acciperent, cauere potuerunt, per fraudem opprimere, quàm in dicto bello aggredi maluerit; prædicturum uobis bellum esse, ac denunciaturum, ante quàm inferat? præsertim dum ad illius fraudes ita conniuetis, ut uoluntario decipi uideamini? ne credatis. etenim sit omnium hominum stultissimus, si cum uos ipsum læsi minime accusetis; sed è uobis ipsis quosdam reos faciatis, & condemnatos uelitis, ille uos moneat, ut ciuili contentione sedata, contra ipsum conuertamini: simulq; orationibus eorum, quos pecunia corrupit, ultro se se priuet: quibus quidem orationibus uos remorantur, cum dicant, minime illum contra

uos

uos bellum gerere. prò Iupiter, eſt ne aliquis ſana mente præditus, qui cum iudicare uelit, bellum contra ſe geratur, nec ne, uerba potius, quàm facta conſideret? nemo certe. Philippus igitur in ipſo pacis initio, nondum Diopithe duce, neque miſſis in Cherrhoneſum iis, qui nunc præſidio ſunt, Serrium, & Doriſcum occupabat; militesq;, quos noſter dux immiſerat, è Serrio muro, & ſacro monte expellebat. atqui, cum hæc efficeret, quid agebat? pacem enim certe iurauerat. neque uero quiſquam dixerit, quid iſta continent? aut quid eſt, cur his de rebus reſpub. laboret? utrum enim parua iſta ſint, aut uobis omnino negligenda, alia oratio eſt. æquitatem uero, ac iuſtitiam ſiue tu paruis in rebus, ſiue in magnis lædas, æque pecces. agedũ nunc, cum in Cherrhoneſum, quam et Rex Perſarum, & omnes Græci noſtram eſſe ſtatuunt, peregrinos milites immittit, & auxilium ſe ferre profitetur, & hæc ipſa ſignificat, quid agit? negat enim ſe bellum contra uos gerere. ego autem, tantum abeſt, ut hæc agentem pacis conditionibus ſtare cenſeam, ut qui Megaras tenet, qui in Eubœa tyrannidem conſtituat, qui nunc in Traciam proficiſcatur, qui in Pelo-

ponneſo exitioſa machinetur, qui omnia, quæ cunque agit, cum imperio agat, eum & pacem dirimere, & bellum iam nunc gerere cõtra uos dicam. niſi uero eos, qui machinas admouent, pacem ſeruare dicetis, uſque dum ariete muros percuſſerint. uerum non dicetis. qui enim ea facit, ac ſtruit, quibus ego affligi poſſim, is mihi bellum infert, etiam ſi non dum plagam inferat, neque iaculum immittat. quibus igitur de cauſis pericula uobis creentur, ſi quid cõtigerit? his, ſi Helleſpontum ille à uobis abalienet: ſi Megaras & Euboeam, contra uos bellum gerens, in ſuam ditionem redigat: ſi Peloponneſum in ſuas partes traducat. an ego, qui aduerſus rem pub. huiuſmodi machinas inducat, atque adornet, hunc ego pacem ſeruare uobis dicam? longe abeſt. uerum quo die Philippus Phocenſes perdidit, ex illo die ipſum ego contra uos bellum gerere iudicaui. uos autem, ſi ueſtras iniurias nulla præterea interiecta mora uindicetis, ſapienter etiam num facturos dico: ſin moram adhuc interponitis, fruſtra mox iſtam facultatem deſideraturos. in quo ego aliorum conſilia ita non probo, ut neque de Cherrhoneſo nunc, neque de Byzantio conſiderandum eſſe cenſeam,

uerum faciendum quidem, ut his opitulemur, ut ab iniuria defendamus, ut ducibus, qui nũc ibi sunt, necessaria quæque sumministremus; sanè uero, ut de Græcis omnibus, tanquam in maximo periculo constitutis, deliberetur. quibus autem rationibus, ut usque adeò nobis timeam adductus sim, uolo uobis commemorare: ut si probabilia dico, iisdem, quibus ego, conciliis adducti, curam aliquam, si de aliis iam non libet, at saltem de uobis ipsis suscipiatis: si uero inania uerba effundere, & arroganter uideor efferri? mihi tanquam insanienti neque nunc, neque in posterum uestras aures accommodetis. quod igitur ex paruo, atque humili, (talis enim ab initio fuit) magnus, ac sublimis Philippus euasit; quòd inter Græcos ipsos neque fides est, neque concordia; quòd multo fuit admirabilius, ut tantus ex illo fieret, quàm ut hoc tempore, cum multa iam occupauerit, reliqua imperio suo, potestatiq; subiiciat; & quæcunque huiusmodi possem exponere; prætermittam. sed illud uideo concedere illi cunctos homines, exemplo uestro inductos, quod antea semper omnes Græci ne concederent, bella susceperunt. quidnam inquam? ex

ipsius libidine omnia administrare, atque adeo unumquenque bonis exuere, & Græcorum iura usurpare, & urbes in seruitutem ui redigere. atqui uos imperium Græciæ tres, & septuaginta annos tenuistis; tenuere undetriginta Lacedæmonii: non nihil etiam Thebani his extremis temporibus post Leuctricam pugnam floruere: attamen neque Thebanis, neque Lacedæmoniis, ne uobis quidem ipsis ò Athenienses hoc idem à Græcis concessum est, ut ex libidine omnia administraretis. minime id quidem unquã. sed uobis, immo uero illis, qui tum erant, Athenienſibus, quòd erga nonnullos insolentiores uiderentur esse, statuere omnes bellum inferendum: statuere inquam, non ii modo, qui iniurias acceperant, sed simul etiam ii qui, quod in ipsos commissum à nobis quærerentur, nihil habebãt. rursus autem Lacedæmoniis imperãtibus, & eandem potentiam, quæ penes uos fuerat, adeptis cum ultra quàm iustitia præscriberet, progredi conarentur, & antiquum statum supra modum labefactarent, omnes, etiam qui læsi minime fuerant, tamen ad bellum conspirarunt. ecquid alios commemorem? nos enim ipsi, & Lacedæmonii, cum neque uos ab illis, ne-

que illi à nobis iniuriam ullam accepissent; tamen, ut alienas iniurias ulcisceremur, suscipiendà arma putauimus: tametsi quæcunque uel à Lacedæmoniis in illis triginta annis, uel à maioribus nostris in septuaginta commissa sunt, minime cum iis iniuriis, quibus Philippus in tribus & decem non integris annis, ex quo emergere cœpit, Græcos affecit, conferendà uidentur: conferenda autem? immo multis partibus inferiora sunt: idq; breui oratione declarare facile est. Atque ego Olynthum sanè, & Methonem, & Apolloniam, & in Tracia duas supra triginta urbes non commemoro: quas omnes ita crudeliter deleuit, ut earum ne uestigium quidem ullum prætereuntes agnoscant. etiam Phocensem nationem tantam æque crudeliter excisam prætermitto. at uero Thessalos quo modo tractauit? non ne urbes eorum, non ne res publicas euertit, & apud ipsos Tetrachiam constituit; ut non singulæ modo urbes, sed nationes iam seruiant uniuersæ? in Eubœa uero non iam urbes impositâ tyrannide premuntur, idq; in insula Thebanis, Atheniensibusq; proxima? non palam in epistolis ita scribit, mihi uero pax cum illis est, qui meum imperium non

recusant? neque uero hæc tantummodo scribit, non etiam re exequitur. nam in Hellespontum abiit: primum in Ambraciam est profectus. Elidem tenet, urbem amplissimam in Peloponneso. Megarensibus insidias ante fecerat. neque Græcia iam illius auaritiam, neq; barbaries omnis capit. & hæc intuentes, atque audientes omnes Græci, tamen legatos inuicem non mittimus, neque commouemur; sed ita male affecti, ita fracti animo per urbes sumus, ut in hodiernum diem nihil, quod prodesset reipubli. aut quod omnino oporteret efficere; neque in unũ conciliari, neque societatem, & amicitiam auxilii causa coire potuerimus: sed illum maiores uires in dies colligentem non attendimus: &, ut mihi quidem uidetur, id temporis, dum alius interit, quisque in lucro ponit; pro salute uero Græciæ nihil cogitat, nihil agit: quandoquidẽ, ut impetus febris, alterius ue mali, cum abesse longissime putatur, tum confecto periodo rursus accedit; ita nemo sanè futura prænoscit. nec uero uos illud præterit, quæcunque Græci à Lacedæmoniis, aut à uobis passi sint, ab iis tamen esse passos; quos ipsa Græcia genuerat. ac simillimum aliquis id putauerit, quod in am-

plis opibus legitimo filio contingit: qui si præ ter bonum & rectum aliquid committat, hanc ipsam ob causam dignus sanè obiurgatione, ac reprehensione sit; attamen neque pro alieno ha bendus; neque hereditatis expertem, licet hæc fecerit, æquum est ut eum appellemus. quòd si seruus, aut nothus ea, quæ ad illum lege non ue niunt, disperdat, ac dissipet: dii immortales, quã to grauius esse facinus, quantoq; maiore dignũ iracundia, homines clmauerint. in Philippo eiusq; rebus gestis eadem ratio est: non solum enim Græcus non est; uerum ne ulla quidem ex parte Græcos attingit: at barbarus, ex qua na tione? non ex ea, quam nominare honeste pos sis; sed profligatus, ac perditus Macedo, è qua gente nec seruum frugi, aut industrium maio res nostri ullum emebant. hic tamen quid in nos extremæ contumeliæ prætermittit? non ne præter urbes solo æquatas, Pythios ludos, com mune Græcorum certamen, ipse constituit, qui si adesse non possit, seruos mittit certamini præ futuros? non in eius potestate Pylæ sunt, eæq; uiæ, quà transitus in Græciam est? non hæc loca custodiis, ac peregrinis militibus insedit? non præcipuam diuini oraculi sedem, uobis exclu-

sis, & Thessalis, & Dorien sibus, reliquisq; populis ad publicum Græciæ concilium conueni re solitis, unus possidet? cuius loci atque honoris copia fieri ne Græcorum quidem cuiquam solet: iam uero Thessalis quibus legibus administrari ciuitates eorum oporteat, præscribit: milites peregrinos mittit, alios qui sinu maris occupato Eretrien sem populum eiiciant, alios qui Philistidem Oreo tyrannum imponant. quæ tamen intuentes Græci ferunt, eorum consuetudinem, ut mihi uidetur, imitantes, qui grandinem spectant, & nequam inde calamitatem patiantur, singuli separatim uota faciunt, prohibere uero nemo conatur: sic non modo iniuriarum, quas Græciæ Philippus infert, ultor nemo est, sed nec earum, quas in se ipso quisque patitur: hoc enim iam extremum est. non ad urbes Corinthiorum, Ambraciam, ac Leucadem iuit? non Achæis Naupactum eripuit. Aetolisq; traditurum iureiurando confirmauit? nõ Echenum Thebanis extorsit? & hoc tempore cõtra socios uestros Byzantios non proficiscitur? omitto reliqua. at Cardiam in Cherrhoneso maximam urbem tenet. quæ cum feramus indignissima atque grauissima, procrastinamur tamen

men omnes, ac langueſcimus, & ad eos, qui prope ſunt, ſpectamus, mutuo diffidentes; cum ille nobis omnibus aperte adeo iniurias inferat! qui cum omnes ita petulanter, contumelioſeq; tractet; poſteaquàm unumquenque noſtrum deuicerit, qualem futurum exiſtimatis? Nunc cauſas conſideremus. non enim ſine ratione, iuſtáue cauſa tam alacri animo uel tunc ad libertatem retinendam omnis Græcia conſentiebat, uel nunc ad perpetiendam ſeruitutem. erat profecto, erat quiddam ò Athenienſes eo tempore, quod minime nunc eſt, multorum in mentibus inſitum, atque incluſum, quod & Perſarum diuitias uicit; & Græciæ libertatem conſeruauit, & maritimis, terreſtribuſq; pugnis inuictum permanſit: quod quia nunc amiſſum eſt, ideo corrupta Græcia languet, ideo ſunt omnia ex omni parte perturbata. quid igitur illud erat? nihil ſanè artificioſum, nihil callidum; hoc, inquam, quòd uniuerſi odio proſequebantur eos, qui pecunias aut ab imperare cupiéntibus caperent, aut ab iis, quibus Græciam labefacere, & contaminare in animo eſſe. & ſanè difficillimum erat, ut quiſpiam in largitionis crimine deprehenderetur. quòd ſi quis hu-

iusmodi culpæ affinis esset, grauissima pœna puniebant: non deprecationi, non ueniæ locus ullus relinquebatur: quo fiebat, ut singularum rerum occasionem, quam sæpe & negligentibus contra diligentes, & otiosissimis contra maxime strenuos fortuna defert, tum quidem ab oratoribus, aut à ducibus emere nemo posset: non tum pecunia tanti erat, ut nostram concordiam dissolueret; non ut barbaris, & tyrannis fidem haberemus; non denique ut tale quidquam committeretur. at hæc nunc, tanquam in foro, turpissimo mercatu omnia uenierunt: horumq; in locum inducta sunt ea, quibus orbis reip. conuersus est, & quibus factum est, ut nouo quodam morbo Græcia moriatur. quænam sunt hæc? inuidia, si quis pecuniam accepit: risus, si is, qui accepit, fateatur: uenia, si adductus in iudicium conuincatur: odium, si quis in hunc inuehatur: & reliqua omnia, quæ largitiones consequuntur. Sunt sanè uobis classes, sunt milites perquam multi: est, unde pecunias colligatis: pro apparatu reliquo nihil deest: suppetunt ea, quæ quibus ciuitatibus contingunt, florere eas, & uiribus inter cæteras excellere iudicamus, atque hæc præsidia cum nunc

& multo plura uobis sint, & maiora, quàm maioribus uestris unquam fuerint: ea tamen inutilia, otiosa, inania ab iis, quorum sententiæ uenales sunt, omnia redduntur. Status hic est nũc nostræ reip. qué uos certe ipsi cernitis: neq; me teste indigetis. superiora tẽpora quàm his dissimilia, planeq; contraria fuerint, ego uobis ostendam, non oratione ex me ipso deprompta, sed literis maiorum nostrorum prolatis: quas illi in columna Aenea incidi, inscribiq;, atque in arce collocari uoluerunt: non ut ipsi se ad bene agendum excitarent (etenim sine his literis, quid faciendum esset, præclare nouerant) sed ut monumenta uobis, exemplaq; relinquerent, quæ intuentes, quales in uindicanda largitione uos deceret esse, disceretis. quid igitur literæ dicũt? Arthmius, inquiunt, Pythonactis filius Zelites infamis esto, hostisq; populi Athenienſis, ac sociorum, & ipse, & eius omnes posteri. deinde, cur id factum fuerit, subscripta causa est, quod aurum ex Media non Athenas, sed in Peloponnesum intulerat. hæ sunt in arce inscriptæ literæ. At uos per deos immortales considerate, & cum animis uestris inspicite, quid tandem Athenienses ii, qui tum illa agebant, spe-

ctauerint, quæ dignitas in illis, quæ fuerit auctoritas. illi Zeliten nescio quem Arthmium, Persarum regi seruientem (nam Asiæ oppidum est Zelia) quia domino suo morem gerens, in Peloponnesum, non Athenas, aurum intulerat, hostem ipsorum, ac sociorum, infamemq; simul cum tota stirpe litteris publicis declarārūt: neq; uero quispiā id genus pœnæ leuius existimarit ob eam rem, quod Zelita non admodū laboraret, si sibi communi Athenienſium iure in posterum interdiceretur: nam non ita se habet. uerum, cum in legibus, quæ de cæde sancitæ sunt, scriptum sit, quibus de causis is, qui cædis reus esset, pœnas ne daret, sed homicidium commisisse impune foret; INFAMIS legis uerba hæc sunt, OCCIDATVR: nimirum hoc significatur, eiusmodi hominem nō modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici posse. ergo illi curandam sibi Græcorum omnium salutem existimabant: nisi enim hoc animo essent, certe, si quos in Peloponneso pretio quis emeret, aut corrumperet, non laborarent. quos uero accepisse munera cognorant, ita grauiter in eos, atque acerbe animaduertebant, ut etiam publica infamia nota-

tos uellent. nimirum his de causis tum Græci barbaris, non barbari Græcis, formidabiles erant. at uero nunc dissimilis ratio est: nam neque in hac re, neque in aliis tales estis, quales illi fuerunt: at quales estis? scitis ipsi: quid enim ego singulis de rebus uos accusem? nec uero dissimilis, & melior, quam uestra, cæterorum Græcorum conditio est. quare, mihi credite, & multo studio, & optimo consilio res indiget: quo, inquam, consilio? iubetis explicari? nec, ubi explicauero, irascemini? recita ex libello. RECITATIO LIBELLI. Sed stultus quidam, & planè fatuus est eorum sermo, qui consolari nos uolunt, cum ita dicant, non dum sanè talem esse Philippum, quales olim erant Lacedæmonii: qui cum & mari, & continenti toto imperarent, regem autem Persarum socium haberent, neq; sustinere eos uis ulla posset; nostræ tamen ciuitatis ea uirtus fuit, ut & illos damnis afficeret, & ipsa perduraret incolumis. atque ego sic existimo, cum ad totius ut uno uerbo complectar, reip. rationem perturbãdam non mediocris accessio facta sit, ut superiorum temporum nunc ne speciem quidem ullam, imaginem ue cernamus, nihil tamen perin-

de uel immutatum, uel adauctum, atque ea, quæ ad rem militarem pertinent. Primum enim, Lacedæmoniis ea tempestate, nec non reliquis omnibus Græcis hoc in consuetudine fuisse audio, ut quatuor, aut quinque mensibus, quoad anni tempus ferret, militarent; cumq; interim hostium regionem assiduis incursionibus uexassent, militibusq; & urbanis exercitibus deuastassent, rursus domum se se reciperent. Erat illud hominum genus adeo simplex, & apertũ, immo uero ita aptum, atque accommodatum ad morem, consuetudinemq; ciuilem, ut à nemine res ulla pretio emeretur, sed legitimũ quoddam, apertumq; bellum esset. at contra nunc certe uidetis proditorum uitio pleraque periisse, nihil in acie geri, nihil in pugna. Philippum, uero, quocunque libuerit, proficiscentem non armatorum Phalangas ducere secum auditis, sed eum tenuem uelitum, atque externorum sagittariorum manum, & huiusmodi subsequi castra: quibus ille copiis robustus ac ualens, cum in eos, qui ex domesticis discordiis infirmi perturbatiq; sunt, impetum fecit, neq; obuiam protuenda regione quisquam propter mutuam diffidentiam egressus est, admotis machinis op-

pugnat. taceo, quàm nihil ſua referre putet, utrum æſtas, hyems ue ſit; qui nullam anni partem eximat, in qua otioſus eſſe uelit. quæ cum omnes uideamus, rationem inire nos oportet, quo modo ne bellum intra fines noſtros admittamus: neque committendum, ut ſtultitiam illam, qua tunc Lacedæmoniorum bello uſi ſumus, quaſi bonum exemplum imitantes, ad exitium præcipitemur: ſed potius omni ſtudio, omniq; uigilantia ita agendum, ita comparandum nobis eſt, ut ſeſe ille intra ſui regni terminos cõtineat: neque uero manus cõſeri, & uniuerſam remp. in diſcrimen adduci, mihi placet. nam, quemadmodum à natura tributum uobis eſt, ut in bello multis ſanè rebus ueſtra melior conditio ſit, ſi modo occaſionibus, & officio ueſtro nõ deeſſe, animum inducatis: (eſt enim illius regio ita ſita, ut uniuerſæ ferè diuexandæ, ac diripiendæ facultatem habeatis; ſunt præterea huiuſmodi ſexcenta) ſic ille ad prælium exercitatior uobis eſt. neq; illud tantum eſt animaduertendum, ne illum locorum oportunitate uſi, inultum eſſe patiamur: ſed hoc etiã magis, ac magis conſiderandum eſt, ut eos, qui cauſam illius in concione tuentur, odio proſequamini.

sic enim uelim existimetis, non licere uobis extra urbem hostes superare, nisi prius in ipsa urbe eos, qui hostibus operam nauant, supplicio mulctetis. quam quidem ad rem, ita mihi Iupiter, omnesq; dii salutares sint, & facultas uobis, & uero etiam uoluntas deest. in eam autem deueniistis stultitiam dicam, an deliratiõem, aut quo nomine appellem? (sæpe enim mihi uenit in mentem uel hoc pertimescere, ne quis dæmõres nostras exagitet) ut, uel quia conuitiis, quæ in alios petulantius iactantur, uel facete dictis oblectemini, uel quia planè inuideatis, quacũque de causa mercenarios oratores, quorum nec negare quidem nonnulli audeant se tales esse, dicere iubeatis, & si quibus conuitia faciant, rideatis. nec uero hoc quodam modo graue esset; tametsi graue quidem sit: uerum accedit illud, quod his ipsis potestatem administrandæ reipubli. maiorem tribuistis, quam iis, qui pro uestra salute concionantur. atqui, talibus oratoribus aures præbere uelle, quantarum calamitatum causa sit, inspicite. dicam autem, quæ uobis omnibus nota erunt. Erant in urbe Olyntho, ex iis, qui publicam rem gerebant, nonnulli, qui Philippi partibus fauerent, & illi omnibus

nibus in rebus inſeruirent: nonnulli autem, qui æquum, & bonum, maximeq; ciuium libertatem tuerentur. utri autem patriæ perniciem intulerunt? aut utri equitum turmas prodidere, quibus proditis Olynthus interiit? certe ii, qui Philippo ſtudebant, quiq; dum ciuitas illa ſtaret, eos, qui optima conſulebant, ita inſectabantur, ita calumniis circumueniebant, ut ab his populus Olynthius Apollonidem, uel in exilium pellere perſuaſus ſit. At uero non iſtos hæc conſuetudo ſolos perdidit, præterea nullos. nã in Eretria, cum Plutarchus ſimul cum peregrinorum militum præſidio abiiſſet; & urbem, portusq; oſtia populus teneret; nonnulli ad uos, nonnulli ad Philippum inclinabant. hos cum miſeri, atque infelices Eretrienſes ſæpe, immo uero ſemper audirent, ad extremum eos, qui ueſtras partes in concione defendebant, eiicere perſuaſi ſunt. enimuero Philippus, ut amicũ, & ſocium poſſis agnoſcere, cum ad eos Hipponicum, & mille peregrinorum militum miſiſſet, portus muros demolitus eſt, ac tyrannos tres impoſuit, Hipparchum, Autumedontem, Clitarchum: & præterea, cum iam aſpirarent ad libertatem recuperandam, ſemel, atque ite-

rum expulit, tum quidem externis militibus cũ Eurylocho, deinde uero cum Parmenione miſſis. quid multa? in Oreo ſanè Philiſtides, & Menippus, & Socrates, & Thoas, & Agapæus quod omnibus cernere licebat, operam Philippo nauabant. atque hi nunc urbem tenent. Euphræus uero quidam, qui etiam in urbe noſtra olim habitauit, hic cum id ageret, ut libertatem Oritæ retinerent, nemini ſe ſe in ſeruitutem traderent, omitto quas iniurias atque ignominias pertulerit: multas enim commemorare liceat: factum illud iniquiſſimum nõ omitto, quòd anno ante urbem captam, cum Philiſtidem, & qui cum eo conſentiebant, proditionis nomine accuſaret, odore quodã ea, quæ illi machinabantur, aſſecutus; eum magna uis hominum conglobata, duce, atque auctore Philippo in carcerem contrudunt: tanquam qui res nouas in urbe moliretur. quam indignitatem plebs Oritarum cum intueretur, tantum abfuit, ut hic opem, atque auxilium ferret, illos uero ſupplicio afficeret, ut illis ne iraſceretur quidem, huic uero etiam inſultaret, & tum hominem ea pœna digniſſimum diceret, tum factum gratularetur. iidem poſtea licentiam na

cti, quantam uellent, id agebant, ut Philippus urbe potiretur; quodq; agebant, ut ad exitum perduceretur, summe curabant. quorum consilia si quis de multitudine sensisset, perculsus metu silebat, cum acerbum Euphræi casum reminiscceretur. erant autem ita misere affecti, ut de communi calamitate minime dubia nemo prius uocem mittere sit ausus, quàm instructis ordinibus hostes mœnibus appropinquarunt. ita factum est, ut, cum alii sese armis tuerentur, alii per proditionem Philippum admiserint. capta urbe turpiter sanè, ac misere, proditores regnant, tyrannidemq; exercent, iis unà cum euphræo, qui se ipsos tum seruare cupiebant, nullamq; fortunam pro libertate recusabãt, partim in exilium extrusis, partim morte mulctatis. Euphræus autem ille se met ipse iugulauit, exitu ipso testatus se se, dum uiueret, non priuati cõmodi causa, sed quia iustitiã coleret, Philippo pro salute ciuium restitisse. miramini fortasse, quid tandem causæ fuerit, quam ob rem ita euenerit, ut & Olynthii, & Eretrienses, & Oritæ libentius iis, qui pro Philippo, quàm iis, qui pro ipsis uerba facerent, aures darent: quod uobis etiam usu uenit: uidelicet, quia pro bono, & æquo di-

centibus, ne, si uelint quidem, loqui ad gratiam & ad uoluptatem quidquam licet: considerare enim hi coguntur, qua maxime ratione seruare patriam possint. illi uero, quibus in sententiis gratiam aucupantur, in iisdem & pro Philippo faciunt. hi pecunias conferri iubebant: illi contra. hi bellum geri oportere, Philippo nullam fidem habendam esse dicebant: illi pacem esse bello anteponendam. cum in eiusmodi deliberationibus tempus eximerent, ecce tibi repente obruti, atque oppressi sunt. &, ne singula persequar, eodem modo reliqua omnia; ut nonnulli ea dicerent, unde sibi gratiam quærerent; nonnulli uero ea in medium afferrent, quibus ciuitatis salus perduraret incolumis. maiorem autem reip. partem, & quidquid reliquum erat, perdidere multi, non ob gratiam, non ob imperitiam, sed quia demittentes animum fortunæ succubuerunt, cum omnino actum esse de repub. ducerent. quæ desperatio, ita me Iupiter, & Apollo seruet, ne uestros quoque animos occupet, magnopere timeo, postea quàm uobis accurate considerantibus, nihil tamẽ succedere pro sententia uidetis. atque ego, cum in eos, qui uos istam in mentẽ impellunt, intueor,

non timore equidem, sed pudore potius affi-
cior: siue enim id de industria, siue ex impru-
dentia committunt, in magnam certe calamita
tem rempublicam protrudunt. sed ne accidat,
cauete ò Athenienses: milies enim mori præ-
stat, quàm Philippo quid per assentationem
elargiri, eosq; qui pro uestra salute ex hoc lo-
co uerba faciunt, proditos uelle. & uero præcla
ram sanè Oritarum multitudo mercedem nunc
accepit, quòd se se Philippi amicis commisit,
quòd in Euphræum impetum fecit. præclaram
populus Eretriensis, quòd uestros legatos exe-
git, & se se Clitarcho tradidit. qui nunc præmii
loco, uerberibus cæsus, & tormentis excruciatus,
miserrimam seruit seruitutem. egregie tempera
tum est Olynthiis, quòd magistrum equitum,
Lasthenem crearunt, Apollonidem autem eie-
cerunt. stulti, ac nequam hominis est, hæc spera-
re; cumq; & ipse tibi male consulas, &, quæ tem
pus postulat, omnia prætermittas, atque etiã ho-
stium causam in concione agentibus aures præ
beas, ita firmis uiribus putare remp. niti, ut debi
litari, ac prosterni quamuis graui, quamuis
aduersa fortuna non possit. enimuero turpe il-
lud est ubi quid iam euenit tum dicere quis-

nam hæc euentura putaſſet? prò Iupiter, hoc facere oportebat, hoc non oportebat. multa nunc Olynthii poſſent dicere, quæ tunc ſi præuidiſſent, minime periiſſent: multa Oritæ: multa Phocenſes: multa quicunque libertatem amiſerunt: ſed fruſtra dicerent: quid enim hæc prodeſſent? dum incolumis nauis eſt, ſiue ea maior, ſiue minor ſit, tum & nautas, & gubernatorem, & omnes deinceps homines curare in primis, & prouidere oportet, ne quis eam neque ſciens, neque imprudens euertat: poſt naufragium inane ſtudium, inanis labor omnis eſt. ueſtra ratio Athenienſes eadem eſt. dum enim incolumes adhuc ſumus; dum florentem ciuitatem, occaſiones ad bene agendum plurimas, dignitatem ſummam habemus: cur non rempub. quaſi commune quoddam nauigium communi ſtudio à tempeſtate tuemur? ſunt fortaſſe nõnulli in hoc conſeſſu, qui iandudum expectant, libenter audituri, quidnam ego faciendum eſſe cenſeam. equidem nihil occultabo, ac meam ſententiam in medium afferam; ut eam, ſi placuerit, ueſtris ſuffragiis comprobetis. uos, uos, inquam, primum ad uindicandas iniurias claſſem, pecunias, milites comparate: etenim ſi cæ

teri omnes utique seruitutem non recusarent, uobis esset pro libertate uel acerrime pugnandum. deinde, ubi hæc & in procinctu omnia, & Græcis manifesta fuerint, tum alios cohortemur, & legatos, qui hæc edoceant, quoquouersus dimittamus, in Peloponnesum, Rhodum, Chium, etiam ad Persarum Regem (neq; enim ab illius utilitate uidetur alienum, nō permittere, ut iste omnia sub imperium ditionēq; suam cōuertat) ut; si persuaseritis, periculorum, ac sumptuum, quos tempus exiget, socios, participesq; habeatis: sin minus, saltem moram, & tarditatem rebus iniiciatis: cum enim non cum potentissima ciuitate, quæ de nostris fortunis coierit, & conspirauerit, sed cum uno uiro bellum uobis sit, prorsus non erit inutile. neque uero illæ circa Peloponnesum legationes omnino sine fructu fuere, quas de Philippi iniuriis ego, & Polytheuctus, ille, ille optimus, & Hegesippus, & Clitomachus, & Lycurgus, aliiq; complures obiuimus: quòd enim ille se continuit, quòd in Ambraciam profectus non est, quòd in Peloponnesum non irruit, ex iis legationibus perfectum est. neque uero, ut alios ad arma capienda cohortemur, ipsi in re nostra

inertes, ignauiq; simus, ego dico: qui enim sua ipse negligat, eum dicere se se aliena curare; & qui ea, quæ iam adsunt, cõtemnat, eum alios uelle futura pertimescere, stultitia est. minime, inquam, hæc dico. at uero in Cherrhoneso militãtibus oportere pecunias mittere, & alia, quæcunque petunt, suppeditare; nos interim hic apparatibus operam dare; primos agere, quæ sunt agenda; deinde & alios Græcos conuocate, cogere, instruere, monere; hæc sunt quæ ego dico: quæ quidem ad huius urbis amplitudinem, uestramq; dignitatem maxime pertinere uidentur. quod si uobis desidiose languentibus, Chalcidenses, aut Megarenses Græciam seruaturos opinamini: næ ista à uero longe aberrat opinio: optabile est enim, ut seruare se ipsum horum unusquisque possit. uestrum est hoc munus Athenienses, uestræ sunt partes. uobis hanc laudem uestri maiores, multis, & præclaris, & magnis periculis partam, reliquerunt. sin autem otiosi sedebitis; & unusquisque uestrum id, quod cupit, ita quæret, ut, quo modo ipse nihil agat, consideret: primum quidem, qui pro uobis acturus sit, neminem unquam reperietis: deinde timeo, ne nos omnia, quæ noluimus,

mus, agere mox necessitas cogat. si enim essent qui uestra causa labores, & pericula subire uellent; iampridem extitissent, cum iampridem ipsi per uos nihil agatis. uerum, qui hoc uelit, neminem esse, res ipsa indicat. Hæc sunt, quæ qui dem ego censeam, atque decernam: quæ si fiãt, in pristinum statum restitui rempub. posse, adhuc existimo. sin est, qui melius quid habeat; dicat, & consilii causa in medium proferat. quidquid autem statueritis, id ut feliciter, prosperéq; eueniat, deos omnes rogo.

DEMOSTHENIS
Philippica quarta.

MAGNA sanè ò Athenienses. & necessaria ciuitati cum intelligam esse ea, de quibus deliberatis; conabor, quæ ad communem utilitatem pertinere mihi uidentur, his ipsis de rebus exponere. uerum enimuero, cum uestris neque paruis erroribus, neque recentibus, sed & maximis, & ueteribus factum sit, ut in his difficultatibus respublicas uersetur: nihil tamen eius incommodi culpam æque sustinet, atque hoc, quòd sententiæ cogitationesq; uestræ à rebus longe distant: & tantisper animum attenditis, dum hic assidetis, audientes, si quid rerum nouarum afferatur: ubi uero ex hoc loco abiistis; qui curet, curet autem? immo, qui recordetur, nemo est. petulantia igitur, & auaritia, unde Philippus omnes homines diuexat, tanta est, quantam auditis: illum autem concionibus nostris minime posse cohiberi, certe, qui ignoret, nemo est. etenim, si quis hoc discere ab aliis minime potuit, nunc ita consideret. nos, ubi de iure publico uerba facere oportuit, uicti in

diſputando nunquam ſumus, neque commiſimus, quod corrigendum uideretur: ſed ipſi omnes, qui ubique ſunt, uincimus, & orandi laude præcurrimus. num igitur propterea illius afflictæ fortunæ ſunt, noſtræ florentes? longe abeſt. cum enim ille quidem ueniat armatus: cumq; omnes ſuas fortunas in belli diſcrimen alacriter ſoleat adducere, nos contra capti ueterno ſedeamus, poſtea quam & ſapiéter diſputauimus, & audiuimus quæ digna cenſuimus: ut opinor, uerbis facta anteeunt: neque quàm diſerti nos aliquando fuerimus, aut nunc ſimus in diſputãdo, ſed quàm acres in agendo, omnes attendũt. quo modo quidem nunc agimus, exiis, quibus inferũtur iniuriæ, ſeruare neminem poſſumus. nihil enim dicendum eſt grauius. Proinde, cũ ii, qui in ciuitatibus uiuunt, in duo genera diuidantur; alterum eorum, qui neque ipſi per uim imperare cuiquam, neque ſeruire uolunt, ſed ita rempub. gerere, ut libertate fruantur, & tantum modo legibus æquo iure ſeruiant; alterum autem eorum, qui imperium quidem in ciues habere concupiſcunt, ſed ipſi parere alteri non recuſant, per quem modo, ut in ciuitate dominentur, ſe ſe poſſe conſequi confidant: accidit,

ut ad eos, qui Philippi partium ſtudioſi ſunt, tyrannidis, & dominationis amatores, ubique potentia peruenerit: neque, ut ego arbitror, ex omnibus ciuitatibus, præter ueſtram, ulla iam reperitur, cuius adhuc penes populum adminiſtratio ſit. potentiam autem iſtam, & ſtatum ciuitatis ad ipſorum uoluntatem ita conſtituerunt, cum nihil, quod in eo genere fieri poſſet, prætermitterent. quod enim primum omnium, & maximum eſt, habuere, qui pecunias accipere uolentibus eorum gratia numeraret. deinde, in quo momenti non minus eſt, ad contrariam factionem euertendam, quandocunque petiere, Philippi exercitus præſto fuit. at uero non modo, quod aliis fuit adiumento, nos deficit; ſed ne excitari quidem è ſomno poſſumus: ut mandragoræ ſuccum, aut aliud quodpiam eiuſmodi pharmacum ebibiſſe uideamur. hinc, opinor (quid enim uera diſſimulentur) ita male audire cœpimus, ita deſpici, ut ex iis ipſis, qui in diſcrimine uerſantur, alii nobiſcum de imperio, alii dignitatis cauſa de loco contendant, nõnulli etiam ſuas ipſimet potius iniurias, quàm uobis ſociis, uindicare decreuerint. ſed quorſum hæc ego commemoro? non mehercule,

quòd ita sim stultus, ut offensionem uestrã subire cupiam; sed ut hoc unusquisque uestrum intelligat, ac uideat, quotidianam segnitiem. & ignauiam, quemadmodum in priuatis facultatibus, sic etiam in rebus publicis, non, tu quid quid per negligentiam peccatur, illico sensu percipi, sed in summa rerum patefieri. Aspicite Serrium, & Dorisçum: hæc enim post pacem primum neglecta sunt à uobis, quæ multi uestrum fortasse ne nouerunt quidem: hæc, inquam, neglecta & Thraciam, & socium uestrũ Cersoblepten perdidere. cui malo etiam illud adiunctum fuit, quòd, cum hæc Philippus contempta uideret, neque opem ullam à uobis impetrasse; muros euertit in sinu maris; præsidiisq; impositis tyrannidem contra Atticam in Euboea, tanquam castellũ, uobis obiecit. quod ipsum quoque cum negligeretis; parum abfuit, quin Megaram caperet. non curastis: commoti non estis: ne hoc quidem denunciastis, permissuros uos non esse, ut illa committeret. perrexit, & Antronas emit: nec multo post Oreum quoq; in potestatem redegit. etiam multa prætermitto, Pheras, uiam in Ambraciã, trucidationem in Elide, alia sexcenta. non enim, ut

eos quos Philippus uiolauit, aut læsit, enumerarem, hæc à me susceptа narratio est, sed potius ut hoc ostenderem, Philippum, nisi quis obuiam eat, finem iniuriis non esse facturum, donec omnia omnium ad se se trahat. Neque uero me fugit, quosdam esse, quibus, ante quàm orationes de republica audiant, confestim interrogare mos est, quid igitur oportet agere? non ut, cum audierint, agant (essent enim patriæ rationibus ciues omnium utilissimi) sed ut ab orationibus maturrime se tanquã ab aliqua molestia expediant. quod cum ita sit, tamen, quod mihi ère uestra uidetur, dicam. Primum id animis uestris persuasum, ac planè certum esse oportet, Philippum neglecta pace bellum cõtra uos gerere; esse non dico male animatum, sed hostem uniuersæ ciuitatis, & ita acerbum quidem hostem, ut uel illius fundamentis, atque adeo diis ipsis, qui illi præsident, minitetur: qui quidem ipsum male perdant. nihil autem maiore odio insectatur, quàm libertatem, neque ex omnibus rebus quidquàm cogitat, quàm quo modo hanc dissoluat, ac destruat. atque, ut id ipsum conficiat, impellitur necessitate quadam. sic enim considerate. imperare

uult: in hoc autem ſolos uos eſſe nouit aduerſarios. iniurias iampridem infert: idq; ſibi ipſe conſcius eſt optime: abſtulit enim uobis ea loca, quæ quia poſſidet, reliqua illi extra periculum omnia ſunt: ſi enim Amphipolim, & Potidæam dimitteret, ſe ſe ne in Macedonia quidem tuto putaret eſſe poſſe. utrunque igitur nouit, & ſe uobis inſidiari, & uos ipſius inſidias non ignorare. quia uero probe ſapere uos intelligit, infenſos ſibi iure putat. ad hæc tam multa etiam illud accedit, quòd, etſi reliqua omnia imperio ſuo ſubiiciat, tamen, quoad uos libertatem retinetis, ſtabilem ſibi poſſeſſionem eſſe non poſſe perſpicue uidet: ſed ſi quando illi minus proſpere quid euenerit, qualia euenire homini multa poſſunt; futurum intelligit, ut ii quibus ipſe iniuſtam ſeruitutem nuper impoſuit ad uos tanquam ad uexillum aliquod libertatis recuperandæ omnes conuolent. eſt enim naturæ conſuetudinisq; ueſtræ, non uobis ipſis nimiam potentiam appetere: & uelle ad imperium aſcendere, ſed alios aſcendere conantes prohibere, aut ſi iam aſcenderint: deiicere: in ſumma, regnare cupientibus acriter obſiſtere: & omnes homines in libertatem ſummo

ſtudio uindicare. non uult ſuis conſiliis & occaſionibus impedimento eſſe ueſtram libertatem. neque uero illum ita ratiocinantem res ipſa fallit. quare ita uelim exiſtimetis, animoq; ueſtro proponatis, ciuitatibus illum, ac populis hoſtem æternum, & implacabilem eſſe: deinde, quidquid agit hoc tempore, quidquid parat, id totum ad ciuitatis noſtræ perniciem adornari. neque enim ueſtrum eſt quiſquam, qui ita deſipiat, ut Philippum exiſtimet huiuſmodi quiſquilias in Thracia (quo enim potius nomine appellentur) Drongilum, & Cabylen, & Maſtiram, & quæ præterea tenere dicitur, concupiſcere, & tantula de cauſa labores, hyemem, extrema pericula ſubire, atque perferre; portus aũt, qui in Attica ſunt, naualia, triremes, argentum factum, hæc tam copioſa uectigalia, hanc regionem, hanc gloriam, quibus utinam neque illi, neque cuiquam nobis uictis frui liceat, minime concupiſcere; ſed hæc uobis fruenda relicturum; interea panici, & ſiliginis cauſa, quæ in Thraciæ cuniculis naſcuntur, in ipſo planè barathro hyemem traducere. non ita eſt: ſed & illa, & reliqua omnia propterea fiunt, ut hæc, quæ nos habemus, ipſe habeat. quæ cum omnibus

nibus perſpicua, exploratáq; ſint, nihil eſt, quod oratorem, optime ſemper de repub. conſulentem, de inferendo bello ſtatuere iubeatis. hoc enim eſt eorum, quibus id propoſitum eſt, ut habeatis cui tanquam hoſti, moleſtias damnáq; inferatis, non ut ipſi, quæ ciuitati conducunt, agentes bonorum ciuium officio fungantur. attendite enim: Philippo ſemel, iterum, & tertio fœdus uiolante (ſæpe enim deinceps idem fecit) ſi quis de ipſo uindicando retuliſſet; atque is nihilominus Cardianis opem tuliſſet, ſi cuti nunc fecit, nemine ueſtrum de bello referente: non, qui illum hoſtem iudicandum cenſuiſſet, diſcerptus eſſet; atque hanc ipſam ob cauſam Philippum Cardianis opem tuliſſe omnes uociferarentur? nolite igitur quærere, quemnam ob iniurias à Philippo acceptas odio habeatis, & iis, qui ſuam illi operam uendiderunt, dilaniandam rempub. obiiciatis: neque cum ipſi bellum iam decreueritis, inter uos ipſos diſceptetis, utrum decreuiſſe oporteat, nec ne: ſed qualem illum gerendis rebus cognouiſtis, tales uos in ipſo ulciſcendo præſtate. primum iis, quos habet aduerſarios, pecunias, & neceſſaria quæque ſuppeditate: deinde ipſi ipſi

ò Athenienſes collatis pecuniis: exercitum, celeres triremes, equitatum, naues conductitias, & quæcunque bellum poſtulat, comparate. quo modo quidem nunc agimus, ridiculi ſumus. neque uero aliud Philippum ipſum à diis precari puto, quàm ut hæc, quæ facitis, eadem perpetuo faciatis. opportune nihil agitis: pecunias inconſulte diſperditis: cui res militaris committenda ſit, quæritis: ſtomachamini: inuicem accuſatis. horum ego malorum & cauſas, & remedia docebo. Nihil unquam à principio inſtituiſtis, aut mature ſatis apparaſtis: ſed poſt caſum ſemper accurritis. deinde, ubi intempeſtiuam, atque inanem eſſe operam intelligitis, apparatum infecto negotio diſſoluitis, rurſus, ſi quid contingat, apparatum inſtauratis, & tumultuamini. mihi quidem iſta conſuetudo non probatur: quid enim? tum demum auxilium ferre, cum in diſcrimen adducta res eſt? nihil hæc ratio proficit. ſed & parare copias ante oportet, & his commeatum curare, &, ut pecuniæ diligentiſſime conſeruentur, diſpenſationi certos homines præficere: ubi hæc ita conſtituta fuerint: pecuniæ rationem à diſpenſatoribus, belli uero à duce repoſcere, eiq; ſi quo

præter mandata uestra nauigauerit, aut aliud quid egerit, locum excusandi nullum relinquere. hæc si feceritis; meumq; consilium probaueritis; necessitatem imponetis Philippo, ut re tiera pacem optimo iure seruet, & in sua se regione contineat, aut, si temperare ab iniuria noluerit, bellum æqua conditione geretis. & forsan forsan o Athenienses, quemadmodum nunc uos, quid agit, aut quo proficiscitur Philippus, interrogatis, item ille; quo nam se contulit uester exercitus, & ubi sese ostendet, solicito animo cogitabit. quod si quis hæc & multæ impensæ, & multorum laborum, multæq; operæ putat esse; recte sane putat: uerum, si, quæ ciuitati mox euentura sint, nisi hæc facere uoluerit, idem considerabit, cuius emolumenti sit, intelliget, ea, quæ res postulat, sponte, ac libenter facere. nam, si quis nobis deus hoc spondeat (neque enim cui fides in eiusmodi re habeatur, satis dignus homo quisquam sit) Philippum, si quieueritis, & quos oppugnat, nulla ope iuueritis, contra uos ipsos ad extremum non esse uenturum, turpe mehercule & uobis, ac præsenti ciuitatis nostræ dignitate, & auita gloria sit indignum, propriæ desidiæ causa com-

mittere, ut cæteri Græci in seruitutem omnes tradantur: & ego ipse mori sanè, quam hæc tam pudenda suasisse, maluerim. at uero, si quis alius suadet, & ita quidem, ut etiam persuadeat; esto: ne uindicate iniurias: uniuersam Græciā perdite. Sin hoc nemini probatur; contraq́; quò plus illum potentiæ quærere permittimus, eò difficiliorem, ac ualentiorem nobis hostem fore prospicimus, quid tergiuersamur? aut quid immoramur? aut quando tandem Athenienses præclare, & laudabiliter agere animum inducemus? an, cum necessitas coget? prò dii immortales, quæ necessitas? quam enim liberorum hominum necessitatem aliquis dixerit, ea non solum iam adest, sed etiam multo ante præteriit, quam uero seruorum, execrari istam, nō, ut adsit, expectare debemus. differt autem hoc inter utranque, quòd homini libero maxima necessitas est dedecus, & infamia; atque haud scio, an ulla maior esse possit: seruo autem plagæ, corporisq́; percussio, quæ ne unquam subeatur ignominia, ne monere quidem honestum est. at uero, quòd ita affecti animo estis, ut ab iis muneribus, quæ uestrum unusquisque & corpore, & facultatibus obire pro repu. debet, om-

nes refugiatis; minime id quidem rectum est, minime inquam: at aliqua tamen excusatione non caret; quod autem neque ea, quæ audire oportet, neque ea, quæ deliberanda sunt, ne hæc quidem ipsa uultis attendere; hoc uero ita graue est, ut excusationi locum planè nullum relinquat. uos igitur, priusquam præsenti discrimine, sicuti nunc, ciuitas urgeatur; neque oratoribus de communi re dicentibus aures dare, neque in quiete, dum licet, quidquam deliberare consuestis: ubi uero ille molitur aliquid contra uos; cum idem facere, & contra moliri deberetis, inertiæ dediti nihil agitis: quod, siquid aliquis eloquatur, eiectus optimi consilii pœnas dat: at, cum uel periisse aliquid, uel in discrimine uersari, nunciatum est; tunc demũ & auditis oratores, & apparatibus operam datis. erat autem eo tempore & audiendi occasio, & deliberandi, cum utrunque neglexistis; nunc non audire, quæ agatis, uos oportuit, sed ea, quorum causa nunc auditis; agere; neque in apparatu esse, sed apparatis iam rebus uti. Itaque uos ex istiusmodi consuetudine soli omnium hominum contra, quàm cæteri solent, facitis. cæteri enim homines ante rem delibera-

re omnes consueuerunt; uos tum demum deliberatis, cum transacta iam re superuacaneum est. nunc, quod superest, quod antea quidem factum oportuit, sed fieri tamen adhuc satis mature potest, id exponam. Ex omnibus rebus nullam magis respubl. his tam periculosis temporibus desiderat, quàm pecunias, porrò cõmoda quædam ultro fortuna detulit; quibus si recte utamur, optime, ut arbitror, consulatur. Primum, quorum fidei Persarum rex multum committit, quosq; bene de se meritos duxit, hi Philippum odere, & cum eo bellum gerunt. deinde, qui actiones omnes, & consilia de regis pernicie cum Philippo communicabat, hic abrogato imperio reuocatus è prouincia est: & omnia rex, non nobis deferentibus, quos proprii commodi causa commotos interpretari potuisset, sed illo ipso, qui & egit, & administrauit, narrante cognoscet; ut ex hoc & fidei plus apud illum habitura sit accusatio, & reliqua mox legati uestri subiicere possint: quæ rex libentissime audiet; quòd communes iniurias communi bello uindicari dignum sit: atque etiam ob illam causam, quòd ei longe formidabilior erit Philippus, si prius impetum in nos

fecerit: quibus destitutis si aduersi quid euenerit, liberius in illum irruet. quæ cum ita sint, faciendum censeo uobis esse, ut legationem, quæ Regem alloquatur, & edoceat, mittatis, atque ut rationem istam, quæ uobis sæpe damno fuit, inanem sanè, ac stultam, abiiciatis; quod barbarus est, quod communis omnium hostis, quæq; huius generis alia sunt. ego enim, cum aliquem uideo, qui regnantem in Susis usque, & Ecbatanis metuat, eumq; male animatum erga nostram ciuitatem dicat esse, qui & afflictas antea reip. fortunas erexerit, & nunc idem polliceatur (quod beneficium cum uos accipere nolueritis, sed decreto facto reieceritis, uestra sanè, non illius est culpa) cum igitur ita sentientem aliquem uideo, eundemq; de Philippo securum intueor, Philippo inquam, qui nobis ad portas obequitat; qui in media Græcia uiolentus latro Græcorum rapinis crescit, sanè obstupesco; & hunc, quicunque tandem est, qui ita sentiat, ego quidem timeo, quandoquidem ipse Philippum timere non uult. Est autem o Athenienses & aliud quoddam in ciuitate, tanquam ulcus nostræ saluti periculosum, de quo iniusta maledicta, & sermones minime rectos

exaudio; quo quidem ii, qui nullam reip. partem uolunt suscipere, ad ipsorum excusationē abutuntur: & eorum, quæ in eo genere peccantur, cum hæc referri ad aliquid oporteat, omnē huc conferri causam reperietis. de quo magno pere equidem uereor dicere, sed dicam tamen. puto enim me & pro egentibus aduersus abundantes, & rursus pro his aduersus illos ea dictu rum, quæ cum ratione consentiant, quæq; utilitas reip. postulare uideatur: si querelas, quas nō nulli de ærario disseminant, iniuria sanè, de medio tollamus: & simul eum timorem amoueamus, corrigi hoc sine aliquo insigni malo minime posse: quo quidem remedio salutarius nihil in remp. possumus inducere, neque quod uniuersam pariter ciuitatem recreare magis possit. sic enim considerate; dicam autem pro iis ante, quibus angusta res uidetur esse. Nostra memoria Athenis publica pecunia non progrediebatur ultra triginta talenta supra centum: neq; tamē ex iis, qui classibus præesse, aut ex iis qui ad eam rem tributa conferre poterant, inuentus est quisquam, qui, quòd nummaria facultas non admodum esset ampla, propterea non id sponte obiret, quod è repub. uideretur: sed & classes

naui-

nauigabant, & pecuniæ conficiebantur, & omnino omnia, quæ reip. conducerent, præstabamus. ipsa deinde fortuna, benigne nobiscum agens publica uectigalia multiplicauit; & quadringena talenta pro centenis facta sunt, idq; non modo sine damno, uerum etiam cum beneficio locupletum: diuites enim omnes, ut aliquam inde capiant utilitatem, accedunt, & recte sane faciunt. quid igitur sustinuimus iniuriæ, ut hoc inuicem conuitiantes exprobremus? aut cur nostram tueri desidiam hac excusatione conamur? nisi si ita sumus iniqui, ut pauperibus ob eam causam inuideamus, quod subsidium illis aliquod fortuna detulerit: quos quidem ego neque accuso, neque accusatione dignos puto. nam neque in priuatis ædibus adolescentem quenquam erga senes ita animatum intueor, neque ita parum de officio suo laborã tem, aut ita ab ratione auersum, ut, nisi omnes eadem, quæ ipse, omnia faciant, se quoque nihil facturum esse dicat. si quis enim sit eiusmodi, hunc malæ actionis crimine reum leges faciunt. genitoribus enim, ut ego sentio, duplici nomine debitam gratiam & iure naturæ, & præscripto legis, iuste persoluere, ac libenti nos

animo reddere æquum est. quemadmodum igi tur uniuscuiusque nostrum pater aliquis est, sic & uniuersæ ciuitatis parentes æq; omnes ciues conuenit existimari. neq; solum id spectare nō debemus, quo modo ex iis commodis, quæ ca piunt è repu. ullum amittant, sed, si hæc ipsa om nino nulla forent, rationem iniri à nobis opor teret, ut esset, unde illorum indigentiæ subue niretur. quòd si diuites in hac sententia sunt, eos ego non solum iuste, sed utiliter etiã facere exi stimo. ubi enim facultates aliquibus adimun tur, ibi ut multi sint male in rempublicam ani mati, necesse est. pauperibus autem hoc consi lii dederim, ut id, quo diuites indignãtur, quod que iure accusant, longe à sese amoueant. agã enim, ut modo tenuiorum, ita nunc diuitum quoque causam: neque committam, ut ad pate faciendam ueritatem segnior uideri possim. mihi enim nemo non dico Athenienſium, sed omnino omnium hominum ita infelix, aut ita crudelis uidetur esse, ut cum pauperes, atque in summa penuria constitutos necessaria de pu blico uideat accipere, moleste ferat. ubi igitur res tota uersatur, aut quæ nam diuitibus est quo tidiani sermonis, & indignationis causa? cum

nonnullos uident mutata consuetudine à publico lucro ad priuatorum facultates conuerti; & qui hæc suadeat, confestim apud uos magnum esse, & accepta fide publica immortalem. quo fit, ut clandestina consilia in apertum tumultum erumpant. hinc diffidentia, hinc oritur indignatio, oportet enim utrosq; reip. participes æque esse: diuites, ut ea, quæ habent, tuto se habeant ad uitam traducendam existiment, neque inde periculi sibi quidquam procreari; atque ut belli temporibus communiter ad patriæ salutem fortunas omnes conferant: reliquos autem, ut quæ publica sunt, publica, & communia putent; partemq; ex iis capiant; quæ uero priuata, possessorum propria ducãt. hac æquitate & paruæ ciuitates, magnæ fiunt, & magnæ conseruantur. uerum, quæ utrosque decent, hæc, aliquis dixerit, fortasse sunt? ut autem recte quoque, ac legitime fiant, correctione opus est. Mihi sanè in hunc temporum statum, atque in has perturbationes intuenti, ita uidetur, tanta mala non ex paucis, & recentibus, sed ex multis, & ueteribus causis excitata: quas, si audire uobis placet, commemorabo. Præclaram consuetudinem ò Athenienses à maioribus traditam ne-

glexistis; qui excellere inter Græcos, & instructo exercitu ab omnibus iniuriam propulsare, superuacaneum quiddam, ac planè inutilem sumptum esse ducitis, persuasi scilicet ab iis, qui remp. administrant: at inerti otio uitam traducere, & laudabiliter nihil agere, uerum singula quæque proiicere, & pati ab altero occupari, illud uero mirabilem felicitatem, ac maximum communi saluti præsidium existimatis. Enimuero his de causis in locum à uobis desertum succedens alter, locum inquam, quem tenere nos decuit; hic nimirum felix, hic magnus, hic multorum locorum dominus factus est: iure sanè. quod enim erat honorificum, & eximium, atque præclarum, usque eò, ut propter id ipsum maximæ ciuitates perpetua inter se contentione certarint, id ille cum Lacedæmonii iam defloruissent, Thebani Phocensium bello distinerentur, nos otiosi negligeremus, per aliorum absentiam occupauit, ac cepit. itaque mox ad alios timor, ad ipsum sociorum multitudo, & magna potentia peruenit: eoq; iam difficultatis redactæ sunt Græciæ fortunæ, ut, quid capiendum consilii sit, non facile reperiatur. sed cum omnes Græcos, ut ego quidem iudi-

co, maximus hoc tempore circunstet metus, uobis tamen ò Athenienses præcipuum impendere periculum uidetur, non solum, quia uobis præter cæteros insidiatur Philippus; sed etiam, quia ipsi præter cæteros estis inertissimi. nam, si, quòd rerum uenalium multitudinem, & copiã in foro cernatis, propterea securo animo estis, tanquam ciuitas omnino sine periculo sit; neque prudenter, neque recte de re iudicatis. siquidem ex huiusmodi rebus optime sanè de foro ipso, ac mercatu in utranque partem iudicari potest: at uero de ea ciuitate, quam sibi, quicunque Græcis imperare unquam uelit, unam aduersariam fore putat, communiq; libertati præsidio futuram, haud hercle ex rebus uenalibus, num ea recte se habeat, iudicandum est, sed partim ex beneuolentia sociorum, partim ex robore copiarum: hæc, hæc sunt potius de ciuitate consideranda: quæ uobis infirma sunt omnia: quod ita esse intelligetis, si sic considerabitis: Ecquando perturbatior unquam fuit, magisue de sua salute Græcia uenit in dubium? certe non unquam magis, quàm hoc tempore. nam antea quidem, cum in duas diuisa factiones esset, Lacedæmonios, & nos: cæteri Græci

partim nobis, partim illis parebant; Persarum regis æque suspecta omnibus fides erat: & si quibus bello deuictis mitis erat; suamq; fidem, ac tutelam pollicebatur, iis quidem tandiu probabatur, dum aliis exæquaret, deinde uero non minus oderant ipsum, quos seruarat, quàm qui cum eo bellum continenter gerebant. at nunc Græcis omnibus amicissimus Rex est, nobis autem minime omnium; nisi si quid nunc eiusmodi agemus, ut digni eius amicitia uideamur. iã præfecturæ multæ, & ubique constituuntur: & de principatu quidem omnes contendunt; quidam autem ab aliis defecerunt, & inuident; & contra quàm oportebat, mutuo diffidunt, & relicti singuli soli sunt, Argiui, Thebani, Corinthii, Lacedæmonii, Arcades, nos. ueruntamẽ cum in has partes, atque in has factiones diuisa Græcia sit (ut id, quod res est, libere dicam) apud horum quemlibet frequentiores de communi salute consulturi, quàm apud uos, uisuntur: nec mirum: uos enim nemo diligit, uobis nemo credit, uos etiam nemo metuit: merito igitur uobiscum nemo de publica re communicat. atque horum malorum ne putetis Athenienses unam esse causam (nam si ita esset, facile

sanari ciuitas posset) sed & multa sunt, & uaria, & omnium temporum peccata: quæ singula nō persequar; unum, quo diriguntur omnia, uobis exponam, cum tamen id prius petiero, ne quid mihi, si, quæ uera sunt, libere dicam, irascamini. Quidquid utile uobis unquam fuit, id, ut quæque detulit occasio, diuenditum est: ita factum, ut uos quidem ignauum otium, atque inutilem quietem malueritis, quibus deliniti, lædentibus rempub. ne succensetis quidem: alii uero amplissimis honoribus potiūtur. & in hoc genere, quæ reliqua sunt, perquirere non decet. ubi uero contigit, ut contra Philippum aliquid dicatur; illico exurgit aliquis, qui nugas audiendas esse neget, & à suscipiendo bello deterreat; ac deinceps illud etiam adiiciat, iucundissimum esse, in pace uiuere; cōtra difficillimum, maximos exercitus alere, uel le nonnullos publicas pecunias interuertere, & alia in hanc sententiam, prout ipsi ueriora putāt esse. at certe suadere uobis pacem, qui iam persuasi desidetis, non oportet. illi, illi suadenda pax est, qui bellum contra uos gerit. qui si persuasus fuerit, sanè, quod ad uos attinet, pacata erunt omnia. neq; uero molesta nobis, aut gra-

uia uideri debent, quæ in noſtram ſalutem inſu
mimus, ſed ea, quæ, ſi hæc recuſemus, ſuſtine
bimus. & quidem, ut ne pecuniæ diripiantur,
caueri oportet; inuenta ratione, qua conſeruen
tur; non omittenda reipu. cura. ego ſanè & hoc
ipſum inique patior, nonnullos è uobis eſſe, qui
bus diripi quidem pecunias moleſtum eſt, quas
conſeruare, & in direptores animaduertere uo-
bis licet; Græciam autem uniuerſam deinceps
à Philippo diripi moleſtũ non eſt, præſertim, cũ
ille ad perniciem ueſtram diripiat. quid igitur
cauſæ tandem eſt ò Athenienſes, cur eum, qui
tam aperte iniurias infert, & ciuitates occupat,
nemo unquam neque iniurias inferre, neque
bellum dixit facere: eos autem, qui, ne Philip-
po credamus, néue remp. proiiciamus, admo-
nent, bellum facere diſſeminant; quod ea, quæ
præter animi ſententiam in bello eueniunt (ne-
ceſſe enim, neceſſe omnino eſt, acerba ex bello
multa contingere) iis, qui pro ueſtra ſalute con
cionari conſueuerunt, aſcribi omnes uolunt.
intelligunt enim, ſi uos de communi ſententia
bellum Philippo unanimes inferatis, futurum,
ut & ille ſuperetur, & ipſis proditionis merces
nulla relinquatur. ſin ex primis illis tumulti-

bus

bus ad aliquos accusandos, & iudicandos conuersi fueritis; se quidem isti duplicem mercedem sperant habituros, gloriam apud uos, pecuniam à Philippo: uos autem, quibus de rebus pœnam ab ipsis capere oporteret, capturos ab iis putant, qui pro uestris cõmodis uerba fecerunt: hæc uidelicet spes illis est, hoc spectant, cũ à bonis uiris bellũ suscitari dicunt. at ego illud probe noui Philippũ, priusquàm Athenis quisquam de bello uerbum fecit, & alia nobis multa eripuisse, & nunc in Cardiam auxiliares copias misisse. itaq; , si negare ipsi uolumus bellum ab illo contra nos geri, sit sanè omnium stultissimus, si quod nos negamus, ipse fateatur. cum enim ii, quibus inferuntur iniuriæ, dissimulant; eum, qui infert, quid facere par est? at cum idé in nos ipsos irruet, quid tum dicemus? nam ipse quidem bellum se nobis inferre negabit, quémadmodum & Oritis, cum iam in eorum regione milites essent: & antea Pheræis, priusquàm ad muros machinas appelleret, & Olynthiis, donec regionem eorum cũ exercitu est ingressus. an tum quoq; eos, qui ad ulciscẽdas iniurias hortabuntur, belli auctores dicemus esse? Hem, in seruitutem miseri trudemur: aliud enim supe-

rerit nihil. Nec uero uobis idem, quod cæteris hominibus, periculum impendet. non enim ciuitatem nostrã imperio suo subiicere uult Philippus; non hoc inquam uult ò Athenienses, sed eruere penitus, atque excindere: nec mirũ; quandoquidem optime nouit, neq; seruire uos uelle, neque, si uelitis, diu in ea conditione uicturos: imperare enim consueuistis. intelligit autem, plus sibi à uobis, si oblatam occasionem amplecti uolueritis, futurum negotii, quàm à cæteris hominibus: propterea, si compos uoti factus erit, uobis minime parcet. tanquam igitur de salute ipsa, ac planè de laribus, & focis extremum uobis certamé futurum sit, ita de re deliberare, & eos, qui pro illo fecerunt, aperte odisse, atque adeo supplicijs afficere opus est. hostes non extra urbem modo, sed in ipsa, in ipsa etiam urbe hostes habetis. hos punite prius, si illos cupitis deuincere: nam hi uestras in actiones incurrunt, quasi propugnacula quædam, quò minus mature illis possitis occurrere. enim uero, quid causæ putatis esse, cur ille nunc ita contumelioſus in uos sit (planè enim hoc agere mihi uidetur (ut, cum alios datis beneficiis, si aliter non potest, in fraudem illiciat, uobis aper

te iam minitetur? Thessali nunc seruiunt. at hos artificiosa liberalitate in seruitutem induxit. quid non cõcessit miseris Olynthiis? Potidæã, & alia multa, ut eos illaqueret. nunc Thebanis eadem molitur: itaq; & Bœotiam tradidit; & diuturno eos, ac difficili Phocensi bello liberauit. at hi quidem, quos commemoraui, cum aliquem fructum singuli præcepissent, ad extremum alii ea, quæ omnes nouerunt, passi iam sunt, alii, quæcunque Philippi libido feret, patientur. uos autem, quæ amiseritis, prætereo: sed sub ipsam statim pacem quàm turpiter decepti? quantis detrimentis; qua iactura? nõ Phocenses, non Pylas, non in Thracia Dorisçum, Serrium, Regem ipsum Cersoblepten, non Cardiam deniq; nunc habet, & fatetur? cur igitur astute, & blande cum aliis agit, uobiscum nõ itẽ? quod in aliis ciuitatibus homines mercenarii orationem pro hostibus habere impune nõ possunt, at in uestra, etiam post detrimenta uobis illata, maxime possunt. tutum non erat in Olyntho pro Philippo dicere, antea quàm accepta Potidæa Olynthiorum multitudo propter utilitatem delinita consensit. tutum non erat in Thessalia pro Philippo dicere, antea quàm ty-

rannos eiiciente Philippo, & Pylæam restituente, plebs Thessalorum beneficio, ac munere commota, à pristina consuetudine desciuit. tutum non erat Thebis, priusquàm & Bœotiam reddidit & Phocenses euertit. at uero Athenis, cum non Amphipolim modo, & Cardianorum regionem eripuerit Philippus, sed Eubœam etiam, tanquam castellum quoddam aduersum nos paret, & nunc Byzantium proficiscatur, tamen pro Philippo dicere tutum est. tutum autem? immo uero horum nonnulli, qui illius causam tuentur, repente ex egentibus diuites, ex obscuris, atque ingloriis, illustres, & glorioſi facti sunt, uos contra è glorioſis inglorii, ex locupletibus inopes: siquidem ego ciuitatis diuitias iudico, socios, fidem, beneuolentiam, quorum omnium inopia uobis est maxima. Hæc quia minime attenditis, & quotidie magis ruere omnia sinitis, propterea ille felix, & magnus, & omnibus Græcis, ac barbaris formidabilis est, uos deserti, atque abiecti. si rerum uenalium copiã in foro spectes, præclari quidem, atq; omnium celeberrimi, sin earum rerum, quæ necessariæ sunt, apparatum cõsideres, perridiculi, omniũq; postremi, ac mihi quidem nonnulli ex iis, qui

concionantur, haud sanè de uobis, & de ipsis eodem modo consulere uidentur. nam uos quiescere dicunt oportere, etiam si uobis iniuriam aliquis inferat: ipsi uero apud uos quiescere minime possunt, cum ipsis iniuriam inferat nemo. At si quis extra conuitium sic interroget, Dic Aristodeme, cum tu hæc probe noris (nemo enim hæc ignorat) esse hominum priuatorum tutam, & otiosam, & expertem periculorum uitam, eorum autem, qui rempublicam administrant, contentiosam; & dubiam, & quotidianis certaminibus, incommodisq; refertam, cum hæc, inquam, noris, cur non tibi quietam & inertem, sed periculosam elegeris? quid huic responderis? nam si illud, quo nihil melius est in tua causa, tibi concesserim uere dici, hæc te pro dignitate, & gloria cuncta facere: ualde miror, cum ipse tibi omnia gloriæ causa esse faciéda, cum suscipiendos labores, adeunda pericula statuas, quamobrem patriæ tuæ auctor sis, ut istam ipsam gloriam, quam tu tibi summis laboribus, & periculis colligere uis, ipsa iam antea collectam, nunc per ignauiam effundat. nisi si illud dixeris, tibi quidem inter tuos ciues summam quandam dignitatem esse oportere, ciui-

bus autem ipsis inter Græcos nullam oportere. atqui nec illud uideo ciuitati, si suas tantummodo res agat, tutum esse; tibi autem, si præter tua priuata negotia nihil cures, periculosum. potius contra fit. nam & tibi, cum ita laboras, atque elaboras, & ciuitati, cum quiescit, ac cessat pericula creantur maxima. at præclarus auus, illustris pater tibi fuit, quorum uirtutibus non respondere turpe ducis; ciuitati autem ignobiles maiores, aut eiusmodi, ut ad laudem recte factis excitare non possint. ne hoc quidem ita est. nam tibi fur pater erat, id est tui sanè similis; ciuitati uero nostræ non patri tuo similes maiores, sed ii, qui, ut omnes nouere, Græciam bis ex maximis periculis ereptam cõseruarunt. sed enim haud similiter, neque ex iure ciuium & priuatam rem suam, & publicam quidam administrant, quid enim minus simile, quàm horum nonnullos, nuperè carcere dimissos eò amplitudinis peruenisse, ut ipsi se ipsos uideãtur ignorare: ciuitatem autem, quæ reliquis Græcis dignitate antea præstitit, summumq; locum tenuit nunc ad omnem ignominiam, humilitatẽq; demitti? multa præterea possé, ac de multis dicere: sed omittã; quandoquidé nõ orationũ penuria

mihi uidetur neque nunc, neque unquam antea male affecta resp. laborasse, sed tum potius, cum uos, postea quàm ab oratoribus salutaria uobis remedia didicistis, & una uoce, ac mente, ut recte dicitur, comprobastis, iidem tamẽ eos quoque, qui hæc ipsa deprauare cupiunt, atque inuertere, pariter audituri sedetis; nõ quòd eos ignoretis (statim enim intellexistis, perspicueq; uidistis, quis mercenariam habeat orationem, quis Philippi causam in repu. curet, quis re uera libertatem tueatur) sed ut, ad hos accusandos occasionem capientes, et deinde ad risum, cõuitiumq; deflectentes, remedia interim illa recreandæ ciuitati necessaria prætermittatis. Dixi quæ uera, & utilia uobis maxime sum arbitratus quiq; meus in uos amor est libere admodũ, simpliciterq; dixi. non assentatione, non fraude, nõ insidiis referta oratio est, quæ pecuniam quidẽ oranti conciliet, rempu. autem hostibus dedat: aut igitur hæc dimittenda cõsuetudo uobis est, aut, quòd omnia male succedant, nemini istam infelicitatẽ, præterquàm uobis ipsis adscribite.

IN ROMA